



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

Liber CLVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

* * * * *

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ LIBER CLVIII.

* * * * *

PIUS IV. PONTIF. MAXIMUS,
FERD. I. OCC. IMP. ;

§. I.

*Congregatio ante Tridentinæ Synodi
initium habita.*

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

*Pall. hist.
Conc. Trid.
l. 15. c. 15.
n. 9. & seq.*

Cum pro continuando Tridenti Concilio cuncta essent disposita, die decima quinta Januarii hoc anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo secundo Legati generalem habebant Patrum conventum in quo Præfidum munere fungebantur, non nisi quatuor, Hercules Mantuanus, Hieronymus Seripandus, Stanislaus Osius, & Ludovicus Simonetta; nondum enim advenerat Marcus Siricius Altempsius Papæ Nepos: hi itaque præter plures, quam centum Episcopos in primi Legati ædibus congregati hoc ordine confidebant: primas sedes occupabant Legati, illisque proximus erat Madrutius Cardinalis, ex utroque autem latere inf-

inferiores sedes tenebant Oratores, circa quos collocabantur scamna pro Præsulibus, inter quos primi sedebant Patriarchæ, & post hos Archiepiscopi, ac demum Episcopi juxta electionis suæ antiquitatem: Denique sequebantur Abbates, ac supremi Sacrorum Ordinum Præfecti, quos inter Jacobus Lainesus Jesuitarum Generalis infimum tenebat locum, eo quod lis orireretur, an inter Regulares, vel inter ceteros collocandus esset.

§. II.

Argumenta in hoc conventu agitata.

Cunctis confidentibus Cardinalis Mantuanus primus Papæ Legatus invocato Sancti Spiritus auxilio sermonem exorsus Papam laudibus celebrabat, causas exponens, ob quas Synodum convocasset, ejusque inchoationem aliquamdiu distulisset: postea autem Patres hortabatur, ut divinam opem implorarent precibus, jejuniis, elemosynis, ac frequenti Sacrorum Mysteriorum celebratione. Absoluta hac Oratione a Massarelo, qui Synodo a secretis erat, recitari jussit Legationis suæ diploma anno priori die decima Martii datum præter tres alias Papæ literas, quarum prima die quinta ejusdem Mensis scripta Pontifex Legatis pote-

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Sæcul XVI.
A. C. 1562.

potestatem concesserat, ut hæreticorum libros, quamdiu Synodus duraret, legendi facultatem cunctis Synodi Patribus impertiri possent: Altero diplomate die vigesima tertia Martii dato eos, qui hæresim clam abjurarent, absolvendi potestas iisdem legatis dabatur: Tertio denique, quod ultima Decembris die editum fuit, quo ordine Præfules federent, declarabatur.

§. III.

Hispanorum petitio circa Synodi continuationem a Legato concessa.

Fallav. c 15.
num. 8.
Mem. pour
le Concil. de
Trente
p. 152.

Cum Hispaniæ Episcopi instare pergerent, ut novam Synodum nullatenus celebrari, sed duntaxat Tridentinam continuari in decreto exponeretur, hinc primus Legatus, ut hi ab importuna hac petitione desisterent, eisdem pollicebatur, nullam vocem, quæ novum Concilium indicaret, adhibendam, nullumque præjudicium inferendum esse Regis Franciæ petitioni, ne Cæsar offenderetur, simulque omnis querendi ansa Protestantibus præriperetur; itaque inter eos conventum, quod duntaxat apponenda sint hæc verba: *Celebratio Concilii omni quacunque suspensione sublata.* Sedato hoc motu primus Legatus monebat, omnino decentiæ legibus requiri, ut singulis diebus festis

Sacrum

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Sacrum solemne celebraretur, eique cuncti Præsules una congregati interessent, coram quibus æque, ac coram Pontifice latinus sermo haberetur: cum vero contingere posset, ut ad ejusmodi sermones destinati ea, quæ tempori, loco, suisque Auditoribus magis congrua forent, ignorare possent, hinc idem proposuit, quemdam nominandum esse Prælatum, qui, ut alias Magister S. Palatii assolet, cuncta publice proponenda recognoscat, atque emendet: porro hujus muneris cura demandata fuerat Ægidio Foscarario Ordinis S. Dominici Religioso, ac Mutinensi Episcopo, qui Inquisitionis jussu olim in Moroni Cardinalis causa custodiæ dabatur. Denique idem Legatus pro Synodi initio diem decimam octavam Januarii præfigebat.

§. IV.

Sessio Tridentinæ Synodi decima Septima, ac prima sub Pio IV.

Præstituta inchoandæ Synodi dies erat Dominica dicata Cathedræ Divi Petri Romæ: Sessio autem, quæ eadem die habebatur, numero decima septima erat a primo Concilii initio sub Paulo III. itaque omnes Prælati, quorum centum duodecim recensebantur, unacum omnibus, quibus Synodum accedendi jus compete-
bat, in Ecclesia Divi Petri con-
vene-

Labbe Col-
lect. Conc.
tom. 14.
p. 840. &
1249.
Pollav. c. 15.
n. 13. &
c. 16. n. 4.

Sæcul XVI
A.C. 1562.

venerant, inde vero supplicum more ad Cathedrâle processerant Templum, ubi singulis suas sedes occupantibus Mantuanus Cardinalis Sacrum de Spiritu sancto decantabat, & Casparus Fossus ex ordine Fratrum Minimorum Rhegini in Calabria Archiepiscopus sermonem habuit, atque in suæ orationis argumentum selegit Ecclesiæ auctoritatem, atque Apostolos imitandi necessitatem, qui etiam hortabatur Patres, ut sua, qua pollerent, prudentia, & doctrina errores eradicarent, veritates Catholicas stabilirent, pacemque Ecclesiæ redderent, cum in ejusmodi Conciliorum celebratione ipsemet Spiritus Sanctus hosce fines sibi proponeret: postea demonstratum ibat, quod Petra, super quam Christus Dominus suam Ecclesiam fundaverat, sit ipsemet Divus Petrus, ejusque Successores, solaque Ecclesia Romana nunquam a vera fide deviaverit, cum tamen reliquæ omnes etiam ab Apostolis fundatæ, atque administratæ erraverint; quippe inquiebat ipse, Ecclesia Jerosolymitana a Sancto Jacobo, Asiana a Sancto Joanne, Achaïæ Ecclesia a Sancto Andrea, Indiana a Sancto Thoma, Æthiopiensis a S. Matthæo, Persiana a Sancto Juda, Phrygia a Divo Philippo administrata, ac omnes hæ, aliæque Ecclesiæ a fide

sensim

fenfim defecerunt, sola autem Ecclesia Romana, adversus quam portæ inferi nunquam prævalebunt, semper sancta, & immaculata permanfit. Denique ad orationis suæ finem Synodi Patres hortabatur, ut cœpta adversus Protestantes strenue prosequerentur. Porro hic sermo mox typis vulgabatur. (*)

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

§. V.

Decretum pro continuando, atque inchoando Concilio.

Absoluto hoc sermone Mantuanus Cardinalis, qui rem Divinam peregerat, Hymnum de Spiritu Sancto intonabat, quo finito, cunctisque confidentibus Angelus Massarelus Thelafius in Apprutio Episcopus, ac Synodi Secretarius prælegit diploma de Synodo convocanda die vigesima nona Novembris Anno millesimo quingentesimo sexagesimo editum, quod jam supra retulimus, eoque recitato Rheginus Archiepiscopus decretum de continuanda Synodo prælegit his verbis conceptum: *Illustrissimi, & Reverendissimi Domini, Reverendique Patres: placetne vobis ad laudem, & gloriam Sanctæ individuae Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*

Vid. Lib. CLIV. S. 126.

(*) Pallavicinus duntaxat Præsulum centum sex numerat præter Mantuæ Ducem,

Sæcul. XVI. A.C. 1562. *Sancti, ad incrementum, & exaltationem fidei, & Religionis Christianæ, sacrum, Oecumenicum, & generale Concilium Tridentinum, in Spiritu Sancto legitime congregatum, ab hodierno die, qui est decimus octavus mensis Januarii, anni a Nativitate Domini millesimi quingentesimi sexagesimi secundi, Cathedræ Romanæ beati Petri Apostolorum Principis consecrato, sublata quacunque suspensione, juxta formam, & tenorem literarum Sanctissimi Domini nostri Pii quarti Pontificis Maximi celebrari, & in eo ea debito servato ordine tractari, quæ proponentibus Legatis, ac Præsidentibus ad horum temporum levandas calamitates, sedandas de Religione controversias, coercendas linguas dolosas, depravatorum morum abusus corrigendos, Ecclesiæ veram, atque Christianam pacem conciliandam, apta, & idonea ipsi Sanctæ Synodo videbuntur.*

Hoc finito, Patres unaomnes respondebant, *Placet.*

§. VI.

Hispanorum Præsulum oppositio contra hæc decreti verba: Proponentibus Legatis.

Huic decreto quatuor obluſtabantur Hispaniæ Præsules, iique erant Petrus Guerrerus Granatensis Archiepiscopus, Franciscus Blanco Auriensis Epi-

Episcopus, Andreas de Cuesta Episcopus Legionensis, & Antonius Gorro-
 merus Præsul Almeriensis, qui omnes
 contra illa verba, *proponentibus Legatis*,
 quæ in præfato Decreto a Legatis fuere
 apposita, acriter obitrepebant, conten-
 dentes, quod hæc clausula, utpote no-
 va, admitti non valeat, aliunde vero
 in Synodi Oecumenicæ ignominiam ce-
 dat: verum spreta eorum cavillatione
 hæc verba retinebantur, & postmodum
 alterum legebatur decretum, quo Ses-
 sio sequens ad vigesimam sextam Martii
 diem indicebatur: denique recitatum
 fuit tertium diploma de ordine, ac
 loco, quem Primates in hac Synodo
 tenerent.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1562.

§. VII.

*Conventus in oppido S. Germani in
 Laja ob Calvinii hæresin
 celebratus.*

Cum interea Tridenti pro eliminanda
 hæresi nil intentatum relinqueretur,
 in Francia Calvinii Sectatores indies
 magis, magisque suam hæresin pro-
 pagabant, eorumque numerus a Pollia-
 centis colloquii tempore adeo excreve-
 rat, ut palam suam rabiem exerere
 haud erubescerent, atque audacter li-
 beram, nullaque conditione restrictam
 sua conciliabula agendi facultatem sibi

Thuan. l. 29.
 num. 3.

Hist. Eccles. Tom. XLIV. Z con-

Sæcul. XV.
A. C. 1562.

concedi peterent, quamvis jam antea per nimiam indulgentiam sigillatim illis nuntiatum fuisset, quod nulla eis molestia sit inferenda, dummodo in privatorum ædibus illorum haud plures quam viginti duo convenirent, suosque ibi cœtus agerent: cum igitur timendum esset, ne crescente temeritate novam concitarent seditionem, nisi petulanti eorum petitioni cederetur, hinc Regina Mater instigante Hospitalio Cancellario Principibus, Ducibus, & Franciæ Paribus, ac Marefcallis, ceterisque Regni Ministris injungebat, ut die sexta Januarii ad S. Germani oppidum in Laja convenirent, hacque super re deliberarent: Verum Montmorentius futuri successus haud ignarus huic colloquio interesse noluit, pariterque Guisus Dux, ac Cardinalis Lotharingus ejus frater ab hoc oppido studiose recedebant.

Rex postquam præprimis hujus confessus causas paucis exposuerat, Cancellarius illius verba excipiens inter alia demonstratum ibat, quod hucusque pœnarum severitas Protestantes adeo non ad officium revocaverit, ut illorum numero magis, magisque aucto, si durius cum illis deinceps ageretur, Parentes contra filios, atque uxores contra Maritos suos ad sumenda arma

com-

compellere necesse foret: „Attamen, Sæcul. XVI.
A. C. 1562.
 „prosequatur Cancellarius, non jam
 „agendum, nec etiam, quænam ex
 „duabus Religionibus verior sit, confe-
 „rendum, aut decidendum, sed unice
 „attendendum est, ut perpendatis, an
 „e Regis, ac subditorum re esse existi-
 „metis Calvinistarum cœtus permitti,
 „vel vetari: agere enim de constituenda
 „Religione longe aliud est, quam de
 „republica ordinanda conferre; quippe
 „multi possunt esse boni cives, qui mi-
 „nime sunt Christiani, nec desinit esse
 „Gallus, Regisque subditus, qui per
 „anathemata ab Ecclesia sejunctus est,
 „sique Regni leges matrimonia inter
 „diversæ Religionis homines rata ha-
 „bent, cur non & illæ quicquam a suo
 „rigore remittant pro consequendo tanti
 „momenti bono, quale est unio, ac
 „concordia inter Catholicos, & Calvi-
 „nistas., Absoluto hoc sermone Can-
 „cellarius suffragia collegit, quorum po-
 „tissima eo abiere, ut Julianum edictum,
 „quo omnes Sectariorum cœtus prohibe-
 „bantur, revocaretur, istique pariter
 „sententiæ Marecallus Santandreas,
 „& Cardinalis Turnonius accessere.

§. VIII.

*Edictum in Mense Januario pro Pro-
 testantibus conditum.*

Z 2

Præ-

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

*Davila l. 2.
p. 93. & seq.
Mem. du
Clergé t. 6.
p. 505.
Recueil. de
tout ce qui
s'est fait con-
tre les Pro-
test. par le
Fevre p. 15.*

Prævalente hac sententia Cancellarius edictum proponebat, quod etiam die decima septima Januarii editum sexdecim complectebatur articulos, quorum tamen præcipuos duntaxat in præsentiarum referimus. I. Ad sedandos tumultus, ac seditiones in Regno excitatas, necnon per sinistra consilia, & per populi duritiem, ac rebellionem magis indies auctas, novæ Religionis Sectatores Ecclesias, domos, prædia, decimas, ceteraque Ecclesiasticorum bona, quæ Catholicis inique eriperunt, restituant, iisque deinceps tranquillam horum bonorum possessionem relinquunt. II. Cruces, Sacrasque imagines impofterum non evertant, neque aliud moliantur, quod ad offensionem publicam vergat, qui fecus fecerint, capitis poena absque spe veniæ, aut gratiæ plectantur. III. Protestantibus intra urbes templa aperire, vel in illis coetus agere non licebit, extra urbium ambitum tamen ejusmodi conventus habere poterunt usque ad Concilii Generalis sanctionem. Aliud in super promulgabatur edictum, vi cuius Magistratibus, aliisque prohibitum, ne in Sectæ suæ exercitio Calvinistas molestant, donec Religionis controversiæ Universalis Concilii decreto componantur: interea vero omnes poenæ per decretum

Sæcul. XVI.
A C. 1562.

cretum Julianum latæ suspendantur: porro in eodem edicto paulo inferius sancitum. I. Nullas Synodos, aut colloquia Protestantes celebrent, nisi Magistratu consentiente, ac præsentem quodam Regis Ministro. II. Nullos novos Magistratus creent, aut leges, ac statuta facere eis liceat. III. Siquid eis in disciplina statuere visum fuerit, rem ad Magistratum referant, ut ipsius auctoritate decreta ea, si opus fuerit, confirmentur, vel rejiciantur. IV. Nulli delectus, aut fœdera ad privatas injurias depellendas, vel inferendas, ineantur. V. Nullæ item pecuniarum impositiones, aut exactiones fiant, si quas autem in eleemosynas fieri oporteret, eæ a volentibus tantum exigantur. VI. Civiles leges, imo & Ecclesiæ Romanæ Sanctiones, ac præcipue eæ, quæ de feriis sunt, necnon de vinculis consanguinitatis in matrimoniis contrahendis servantur. VII. Pastores eorum Magistratui ad edicti observationem fidem obstringant, polliceanturque, se nullam doctrinam Dei Verbo adversam populum edocturos, nihilque, quod Nicæno Concilio, symbolo, & libris veteris, & novi testamenti adversetur, dicturos. VIII. A conviciis contra Catholicos, Missæ Sacrificium, aut Romanæ Ecclesiæ ritus in suis

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Concionibus abstineant. IX. Nec etiam a Parochia in Parochiam circumvagentur invitis Dynastis, ac Parochis ad populum dicturi: eapropter Parochi in suis Ecclesiis residere teneantur, secus eorum beneficia tanquam vacantia, aliisque conferenda habebuntur. Denique eodem edicto declaratur, seditiosos morte esse plectendos, cum tamen antea nonnisi ad pecuniarum multam fuissent condemnati.

§. IX.

Parisiensis Regius Senatus nonnisi trino mandato compulsus hoc edictum ad acta refert.

*Benoit hist.
de l'édit de
Nantes t. I.
pag. 29.
Belcar. l. c.*

Hoc edictum quantocius ad Regios Senatus transmissum confestim a Tolosana Curia die sexta proximi Mensis Februarii confirmabatur: verum Parisiensis Senatus, cum pro Religione Catholica ad præcipuas Regni leges accommodanda immotum semper præferret studium, adversus hoc edictum scripto suas exposuit rationes, quæ etiam per Christophorum Thuanum ejusdem cognominis Historici Parentem, necnon per Jacobum Violam Consiliarium Regi tradebantur, atque in illis Regiæ suæ Majestati gravibus verbis hæc proponebantur: „nullo pacto fieri potest, ut duæ Religiones simul in eodem

„eodem Regno diu consistant, idque
 „minus tolerandum est, postquam pro-
 „mulgata fuerat lex, quæ sectam re-
 „cens introductam profitendi libertatem
 „indulgit: nunc enim haud immerito
 „timendum, ne ex ejusmodi hæresis
 „licentia, si diutius grassari permitti-
 „tur, mala adhuc magis funesta, ac tu-
 „multus pene innumeri oriantur.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1562.

Nihilominus his rationibus Aula ne-
 quaquam absterrebatur, quo minus præ-
 fatum edictum ad acta referri præcipe-
 ret: quinimo eadem adhuc die Pari-
 siensis Senatus iterato mandato hanc
 legem confirmare jubebatur, cum vero
 secundæ huic jussioni morem haud ge-
 reret, Rex tertio etiam mandato, quod
 Rupesius ad Yonem Princeps detulerat,
 die sexta Martii Senatui significari præ-
 cepit, quod omnino sua jussa ad effectum
 deduci postulet, eo potissimum nomine,
 quod hoc edictum nonnisi sub spe futuræ
 decisionis a Generali Concilio ferendæ
 interea conditum fuerit, vel nisi Rex
 aliter circa illud decreverit, de cetero
 autem nequaquam duas Religiones in
 Regno suo approbare, sed duntaxat Ro-
 manæ Ecclesiæ fidem conservare inten-
 dat, in qua natus æque, ac sui Præ-
 decessores etiam decedere exoptat. Fa-
 cta hac Regis pollicitatione Senatus
 acquievit, atque edictum ad acta retulit,

Z 4

ad-

Sæcul. XVI
A. C. 1562.

adjectis tamen hisce conditionibus. I. Hujus edicti confirmationem Senatus duntaxat Regi obtemperandi studio, ac temporis necessitati cedendi animo admittit. II. Hæc submitio nequaquam approbationis loco habeatur. III. Hoc denique edictum duntaxat vim suam tamdiu obtineat, donec Rex aliter decreverit. Verum Divionensis Senatus nullo pacto ad confirmandum hoc edictum aungi poterat: ceteræ vero Curix, ad Parisiensis Senatus exemplum, illud pluribus clausulis restringebant.

§. X.

Regina per Lansacum Romanæ ablegatum coram Pontifice sese excusans.

Instrud. & missiv. des Rois sur le Concil. de Trente 1613. p. 62. & seq. Mem. pour le Concil. de Trente Paris 1654. p. 136. & suiv.

Cum nimia hæc Aulæ Gallicæ indulgentia, qua hæreticis cedebat, summum Pontificem æqua indignatione commoveret, Regina Franciæ Administratrix verita, ne Papa hujus edicti indignitate exacerbatus animum suum penitus ab ea averteret, Ludovico Sangelasio Lansaco negotium dedit, ut Romam profectus suam Insulano, qui jam ibidem agebat, operam jungeret, & summo Pontifici hæc exponeret: „aud parum Franciæ, ac Navarræ „Regem Reginx Avunculum affligit sinistra

„nistra opinio, qua illos Sanctitas sua
 „hæreticis propensos esse autumat, cum
 „tamen ambo polliceantur, se nihil in-
 „tentatum relicturos, ut hæresis Regno
 „eliminetur, cui negotio jamjam, præ-
 „cipue vero Galliarum Rex operam
 „suam impendit, indulgentia tamen
 „ad tempus esse utendum existimat,
 „ne malo, dum remedium paratur,
 „aucto ad interiores Regni ditiones
 „suscitetur bellum eo magis funestum,
 „quo difficilius calamitates inde exortæ
 „sopiri poterunt: de cetero ipsamet Re-
 „gina immotum venerationis, ac debitæ
 „obedientiæ studium erga Sanctitatem
 „vestram profitetur.„ Insuper eadem
 „Regni administratrix Lansaco injunge-
 „bat, ut hæc Pontifici significaret: „quam-
 „vis facultates Cardinali Ferrariensi
 „Pontificio in Francia Legato concessæ
 „adversentur illis omnibus, quæ ex
 „Parisiensis Curie sententia in Aure-
 „lianensibus Ordinum comitiis fuere
 „decreta: nihilominus Rex propter ob-
 „sequendi studium, quo Sanctitatem
 „vestram, cunctaque ejus mandata re-
 „veretur, biduo abhinc præfatas Le-
 „gati facultates recipi, ac confirmari
 „iussit.„ Denique in Lansaci mandato
 „addita fuere quædam monita circa An-
 „natas in Galliis abolitas, quem Gallo-
 „rum ausum Pontifex ægerrime ferebat,

Sæc. XVI.
 A.C. 1562.

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

insuper Lanfacus agere jubebatur de indulto, quod Papa restringere voluit, quamvis id Caroli IX. Prædecessores absque limitatione obtinuissent. Acceptis itaque hisce mandatis Lanfacus e Galliis discedens die decima septima Februarii Romam pervenit, die decima nona ejusdem Mensis ad Pontificis alloquium admissus.

§. XI.

Papæ responsum ad Reginæ Matris Legatum.

Instruct. l. c.
pag. 72.
Mem. l. c.
p. 153.

Hisce Regis rationibus Papa nonnihil placatus videbatur: hæc tamen Lanfaco proponebat: „Nullum non movi „lapidem, atque etiam Sacræ Sedis „Apostolicæ dignitati haud parum de- „rogare non dubitavi, ut Germaniæ „Protestantes ad Concilium allicerem, „quam ob rem omnem, quam petere „possunt, securitatem illis æque, ac „Franciæ Protestantibus procurare pa- „ratus sum: iniquum tamen reputo, „quod Synodus perversis eorum ma- „chinationibus cedat: quapropter e- „tiam si Tridentum venire recusaverint, „Synodus tamen ea, quæ jamjam fe- „liciter incæpit, pari studio prosequetur: ad illam quoque Imperator, & „Hispaniæ Rex jam suos ablegarunt „Episcopos, & desiderantur duntaxat Fran-

„Franciæ Præfules, quibus præ cete-
 „ris Synodi auxilium est necessarium: Sæcul. XVI.
A.C. 1562.
 „quinimo Regem deceret, ut quanto-
 „cius Regni sui Episcopos Tridentum
 „proficisci juberet, hocque pacto hosti-
 „bus suis de eo querendi ansam præri-
 „peret. Verum cum Lansacus Ponti-
 fici exposuisset, quod Rex in nupero
 conventu apud Sanctum Germanum in
 Laja habito non ea quidem, quæ de-
 sideraverat, egisset, sed illa, quæ ad
 sedandos tumultus interim magis op-
 portuna censuerat, donec aliter prospe-
 ctum foret per generale Concilium, ad
 quod Rex viginti quatuor Episcopos
 jamjam itineri accinctos unacum Can-
 dalio Oratore suo nominasset, ad hæc
 Lansaci verba respondit Pontifex: „haud
 „parum Regni Gallici dissidia, & tu-
 „multus anxium me reddunt, & huc-
 „usque quidem de Regis voluntate piam
 „fovebam opinionem, nec etiamnum
 „illius agendi rationem suspectam ha-
 „beo, spe firma fretus, quod Christiani
 „Principis partes adimplere totis viri-
 „bus satagat, cunctaque ad Dei hono-
 „rem, suæque Ecclesiæ incrementum
 „dirigere velit: de cetero autem nu-
 „perum edictum in oppido Sancti Ger-
 „mani in Laja confarcinatum minime
 „tolerare possum, Deumque exoro, ut
 „tot malorum Auctoribus veniam im-
 „pertiri

Sæc. XVI.
A.C. 1562.

„pertiri dignetur.“ Postea Lanfacus expleto demandatæ Legationis suæ negotio, in Franciam circa finem Mensis Martii reversus est, quem etiam Carolus IX. Tridentum, ubi Synodus continuabatur, cum ceteris ablegabat.

§. XII.

Synodi Patrum Congregatio in Legati Palatio.

Pallav. c. 18.
num. 1. Et
seq.

Finita Sessione decima septima primus Legatus ad vigesimam septimam Januarii diem generalem Patrum conventum in suo palatio celebrandum indixit, ut ibidem de argumentis in proxima Sessione definiendis deliberaretur: cum autem in priori Congregatione jam fuisset decretum, quod de rebus fidei conservationem, morumque emendationem concernentibus agendum esset, hinc ad puritatem fidei reddendam præ ceteris omnibus magis expedire credebatur, si libri a diversis Authoribus sub primis hæresum auspiciis scripti examinarentur, simulque censuræ, quibus in variis Provinciis Catholici ejusmodi libros perstrinxerant, discuterentur, ac demum Synodus desuper decretum promulgaret, quod ab omnibus, postquam singuli hac super re sententiam suam edixissent, exacte observaretur: porro alterum caput, quod examini fuerat

fuerat subjectum, versabatur circa quæ-
 sionem, an in alio decreto omnes illi,
 quos ea res concernit, allegare oportet,
 ne fors se non fuisse auditos con-
 queri possent. Denique tertio loco pro-
 ponebatur, utrum hæreticis fidei pu-
 blicæ literæ sint offerendæ, iique, ut
 ad Ecclesiæ Catholicæ finem redeant,
 invitandi, facta pollicitatione, eos omni
 lenitate habendos, dummodo Synodi
 auctoritatem admittere vellent.

§. XIII.

*Consultatio Patrum circa Indicem li-
brorum prohibitorum.*

Circa primam quæstionem de libro-
 rum examine variæ erant Patrum
 sententiæ, quarum plures non sine acri
 studio urgebantur, ac præprimis Mar-
 cus Antonius Elius Patriarcha Jero-
 solymitanus verba faciens non minus
 hujus laboris utilitatem, quam diffi-
 cultatem exponebat, tandem vero con-
 cludebat, haud abs re esse, si libri
 sanam doctrinam continentes, atque
 ad pietatem conservandam utiles ab iis,
 qui erroribus scatent, discernentur:
 de cetero autem tam copiosam erudi-
 tionem, solertiam, ac studium ad fe-
 licem hujus examinis successum requiri
 aiebat, ut hunc laborem præ omnibus
 difficillimum haberet: hinc ad hoc ne-
 gotium

Sæcul XVI.
 A.C. 1562.

Pallav. l. c.
 Sarpus l. 6.

Sæcul. XIV.
A.C. 1562.

gotium Patres præ reliquis maxime idoneos esse feligendos censebat.

Elium perorantem excipiebat Daniel Barbarus Aquilejensis Patriarchæ Coadjutor, qui hujus erat opinionis, Pauli IV. Indicem multis in locis esse corrigendum, eo quod libros probis moribus adversos eadem perstrinxisset censura, ac libros, qui fidei dogmata impugnarent, non minus autem bono Regimini perniciosum dicebat, si crimina relinquerentur impunita, quam si omnia scelera, gravia, & levia promiscue æquali vindicarentur pœna: Granatensis vero Archiepiscopus censuit, hunc laborem a Synodo non esse suscipiendum, cum ejusmodi examen Patres ab aliis majoris momenti negotiis averteret. His subjunxit Bracarensis Archiepiscopus, hanc curam opportunius comitendam esse in Italia Universitati Bononiensi, in Galliis Parisiensi, in Hispaniis Salmanticensi, ac denique in Lusitania Complutensi Academiæ. Verum eorum opinioni adversabatur Laurentius Ariani in Neapolis Regno Episcopus, existimans, quod hujus laboris difficultati omnino prævaleret utilitas, quæ ex ejusmodi examine in Ecclesiam redundaret, præsertim cum in laboris juvamen haud incongrue Tridentum convocari possint illi, quos Paulus IV. jam-
jam

jam in concinnando suo Indice adhibuisset: porro Ægidius Foscararius Mutinensis Episcopus alia hanc operam diminuendi media suggessit, proponens, de veteribus libris, qui apocryphi habentur, non esse agendum, sed duntaxat illos fore examinandos, qui a recentium hæresum temporibus conscripti fuissent.

Mutinensis Episcopi sententiæ accesserat quoque Marcus Laureus Campanæ in Neapolis Regno Episcopus, addidit tamen, in hoc Indice a Synodi Patribus nonnisi ea adducenda opera, quæ manifestam continent hæresin: cetera vero quorundam Doctorum, qui ad id speciatim nominentur, censuræ relinquenda: verum Justinianus Fratrum Prædicatorum Magister generalis censebat, quod inter eos, qui ad concinnandum hunc Indicem nominandi sint, nullus ex Regularibus seligeretur, sed potius expediret, ut Universitates scriptotenus rogarentur, quatenus catalogos a se jam compositos Tridentum transmittant. Denique Christophorus Paduanus Fratrum Eremitarum S. Augustini Præpositus nullum novum Indicem esse conficiendum, sed illum, quem Paulus IV. edidit, esse retinendum, atque emendandum arbitrabatur: alii vero in eam abiire sententiam, quod
idem

Sæc. XVI:
A.C. 1562.

Sæcul. XVI
A.C. 1562.

idem Pauli IV. Index nulla mutatione facta acceptetur, cum nulla etiam correctione egeret: non deerant tamen, qui hunc Indicem esse rejiciendum, nec alium componendum contendebant.

§. XIV.

Patrum sententiæ circa Authorum citationem.

*Pallav. c. 19.
num. II.
Sarpinus l. 6.
p. 457.*

Cum in secundo articulo ibidem examinando de Authoribus, quorum interest, allegandis ageretur, statutumque esset, illos in decreto esse nominandos, ne perinde, ac si auditi non fuissent, querendi ansam haberent, hinc Cavenfis Episcopus hæc proposuit: „duo „sunt genera Auctorum, nam eorum „quidam sunt ab Ecclesia segregati, alii „autem eidem uniti: porro de primis „nullam curam esse habendam censeo, „quia juxta D. Paulum semetipsos, sua „que opera ab Ecclesia deficientes condemnarunt: ceteri vero vel jam sunt „mortui, vel adhuc vita superstites: hi „ergo citandi, atque audiendi sunt, „nam alias eorum libri jure damnari „nequeunt, quia de illorum agitur honore: mortuis autem, cum illorum „parum intersit, libere inferri poterit, „quidquid ad publicam utilitatem cedere videbitur, quin ullius offensio „timenda sit.„ Alius Episcopus subjunxit,

subjunct, hanc quoque iudicii rationem esse servandam circa ceteros Catholicos jam defunctos ob eorum Parentes, ac discipulos, in quos tam defuncti gloria, quam ignominia redundare videretur, & quamvis illorum nullus in vivis esset, solam tamen defuncti memoriam iudicio haud subjiciendam inquietabat, nisi prius ab aliis defendatur.

Sæcul. XVI.

A.C. 1562.

Alphonsus Rossettus Comaciensis Episcopus, aliique censebant, quod non modo honestas, atque utilitas publica, sed etiam juxta nonnullos æquitas deponat, ut Doctores vocati doctrinæ suæ rationem reddant, eorumque explanationes, atque argumenta audiantur: Verum huic opinioni Joannes Baptista Castanea Rossanæ in Calabria Episcopus, qui evolutis quibusdam annis postea ad D. Petri Cathedram assumpto Urbani VII. nomine fuerat assumptus, adversabatur, ejusque sententiæ Augustinus Boncompagnus, pluresque alii ad stipulati sunt, propugnantes, quod a Ge-
Canon. Sancta Distinct.
 lasio Papa, prout in jure Canonico significatum haberetur, fuisset factum, ut
 15.
 hæreticorum libri, quin eorum vindiciæ essent auditæ, fuerint condemnati, cum non de eorum personis, sed libris ageretur, nec illorum authores condemnentur, sed lex, qua eorum opera tanquam Reipublicæ noxia prohiberentur,
Hist. Eccles. Tom. XLIV. A a sta-

Sæcul. XVI A. C. 1562. stabilatur, prout fieri soleat in Regno rite administrato, in quo non merces civibus nocivæ tolerantur, sed proscribuntur, quin in opifices, qui eas conficissent, inquireretur.

§. XV.

Patrum consultatio circa fidei publicæ literas hæreticis concedendas.

Pallav. c. 19. n. 12. Circa tertium articulum, qui securitatis literas hæreticis tradendas concernebat, quorundam Patrum, uti Asaphensis Episcopi, aliorumque opinio erat, in hisce literis apponendam esse hanc clausulam, *dummodo errores suos abjurandi, non autem altercandi animo ad Synodum venire intendant*: alii vero putabant, hæreticos duntaxat esse obstringendos, ut in publicis congressibus a convitiis, atque injuriis abstinerent: Verum Ludovicus Beccatellus Ragusinus Archiepiscopus unacum pluribus aliis, qui ejusdem erant sententiæ, hortabatur Patres, ut ingenti uterentur moderatione tam in publicæ fidei literis Protestantibus absque restrictione, uti promissum fuisset, indulgendis, quam in adhortatione, qua præter factam veniæ spem, ut ad finem Ecclesiæ revertantur, monendi sint: insuper, cum
ad

ad Synodum invitarentur, odiosum *hæretici* nomen omittatur, ne ejusmodi invitatio præferre videatur injuriam, quæ potius a Synodo arceri, quam alligi credantur.

Equidem hoc consilium ad prudentiæ leges compositum videbatur, necnon Cardinalis Mantuani primi Legati sententiæ consonum erat, nihilominus Simonetta Cardinalis propugnabat, quod nimia hac generalis veniæ facilitas, ac impunitatis spes pro tam enormibus delictis abs dubio innumeris ad libere peccandum illecebra foret: econtra vero suppliciorum acerbitas, etsi ejusmodi poenas mererentur, dura, atque ingrata accideret, ad innumeros tamen in officio, atque obedientia retinendos requireretur: ut proin ad clementiam ostendendam sufficeret illam impertiri iis, qui veniam peterent: ceteris vero, qui misericordiam nec implorarent, nec libi gratiam fieri vellent, eam indulgere haud consultum videretur, cum alias, si alia via incederetur, sane hæresis inter levissima haberetur crimina, ac proin hominibus, ut a recta semita deviarent, janua aperiretur.

Alii judicabant, hæreticis omnino, omnique tempore publicæ securitatis literas esse denegandas, atque in suæ opinionis argumentum adducebant, quod

A a 2 in

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Sæcul. XVI. in prima hujus Synodi celebratione
 A C. 1562. nulla de ejusmodi impunitate mentio
 fuerit facta, eoquod non modo inutilis,
 sed etiam nullo pacto conveniens cen-
 feretur, quamvis enim in secunda Con-
 cilio convocatione sub Julio III. publicæ
 fidei tabulæ, eoquod eas Cæsar, & Sa-
 xoniæ Elector Mauritius nomine o-
 mnium Protestantium petiissent, fuerint
 concessæ, nunc vero adeo non ab hære-
 ticus ejusmodi securitatis sponsonem
 exigere dicebant, ut etiam Germaniæ, &
 Franciæ Protestantes palam profitean-
 tur, quod hujus Synodi convocationem
 tanquam legitimam nunquam agnosce-
 re velint. Pariter Hispaniæ Episcopi
 hæc tabulas expediri renuebant, veriti,
 ne sacræ Inquisitioni derogaretur, plu-
 resque hæretici occulti promissæ securi-
 tatis fiducia freti palam suæ sectæ vene-
 num evomerent, ac Tridentum delati
 suos errores impune spargerent, certi,
 quod per Inquisitores ad judicium vo-
 cari nequirent. Variis hisce opinionibus
 Legati satis dubii hærebant, quæ
 consilia caperent, ignari: quapropter
 frequentes habebant congregationes, in
 quarum una decretum, nominandos esse
 Deputatos, qui librorum prohibitorum
 catalogum conficerent: de cetero autem
 circa publicæ fidei literas ad deliberan-
 dum

dum ob emergentes difficultates tem- Sæc. XVI.
 pus esse indulgendum. A. C. 1562.

§. XVI.

*Patres ad concinnandum Catalogum,
 seu Indicem selecti.*

Itaque consentiente potissima parte ex Pall. c. 19. n.
 Synodi Patribus octodecim nomina- 13. & 14.
 bantur, qui præfatum Catalogum, seu Spond. hoc
 librorum Indicem conficerent, iisque ann. n. 17.
 data est facultas, ut quosdam Theolo-
 gos, vel alios, quos huic labori idoneos
 censebant, sibi socios adungere pos-
 sent: electi autem erant sequentes Geor-
 gius Dracovitius Quinqueecclesiensis
 Episcopus Martinusii Cardinalis Nepos,
 ac pro Hungaria Ferdinandi Cæsaris
 Legatus & Joannes Trivisanus Patriar-
 cha Venetus, & quatuor Archiepisco-
 pi, quos inter etiam numerabatur Bar-
 tholomæus de Martyribus Braccarensis
 Archipræsul, præter novem Episcopos,
 unum Abbatem, ac duorum S. Ordinum
 Generales, quorum primus erat Fra-
 trum Minorum de Observantia Minister,
 alter vero Fratrum Eremitarum S. Au-
 gustini Præpositus, hisque ita nomina-
 tis hæc præfigebatur conditio, ut hic
 Index nonnisi absoluto Concilio publici
 juris fieret, ne exinde Protestantium
 animi exacerbarentur.

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

§. XVII.

Legati ad Synodum delati, atque a Patribus excepti.

Pall. c. 20. n. 1 Die ultima Januarii tanquam Ferdinandi Hungariæ Regis Orator advenerat Antonius Miglitzius Pragensis Archiepiscopus, qui jubebatur suam operam jungere Quinqueecclesiensi Episcopo, a quo etiam extra urbem obviam procedente excipiebatur, nec minus salutatus fuit a quinque Episcopis, ac quamplurimis Ministris, quos Legati deputabant. Præfigebatur solemni alloquio sexta Februarii dies, in qua Miglitzius, & Dracovitius in generali Congregatione exciperentur: ast Ferdinandus Martinez Mascarnes Lusitanæ Regis Orator, cum nonnisi tertio milliarum Tridento distaret, atque Pragensem Archiepiscopum, & Quinqueecclesiensem Præfulem tanquam Hungariæ Regis Legatos proxime excipiendos intelligeret, missis ad Legatos nuntiis rogabat, ne Dracovitium se ipso priorem ad confessum admittere vellent, eo quod eis legitimas demandatæ sibi facultatis literas sui Principis exhibere non valeat, ac non nisi privato mandato Tridentum venire, & cum Cæsaris Oratoribus agere jussus sit: aliunde vero hic Præsul nequaquam Imperatoris, sed

fed duntaxat Hungariæ Regis personam repræsentet, hinc cum Lusitanæ Rex se Ferdinando Hungariæ Rege superiorem credat, illius quoque Legatus Quinque-ecclesiensem Episcopum præcedere permittatur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Hæc Præfulis petitio nonnihil turbabat Legatos; verebantur enim, ne vana præcedendi ambitio Lusitanos a Synodo arceret, hinc totam rei seriem Pontifici datis literis significabant, supplices, ut hac super re iussa sua transmitteret, nec Concilii auctoritatem in discrimen adduceret: præterea eidem exponebant, quod inter Franciæ, & Hispaniæ Legatos proxime venturos eandem de loci prærogativa contentionem præviderent, ac proin rogarent, ut ipse hoc negotium dirimere vellet, quin illius decisionem Patribus relinqueret: attamen Legati, priusquam Papa responsum daret, quinque Episcopos, nimirum Antonium Elium Jerosolymitanum Patriarcham, Castaneam Rossanum Episcopum, Augustinum, Boncompagnum, & Palleottum nominabant, ut circa tria hæc capita deliberarent, & quidem I. discuterent, an Dracovitus admittatur, etiamsi nullo alio esset instructus mandato, quam solis literis, quas Imperator ad illum in Hungariam miserat. II. Utrum illum ante Lusita-

Pall. II. 2. 83

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

num Oratorem excipere conveniret. III. Utrinam ex illis honoratior locus esset tribuendus. Ad primum caput respondebant Episcopi, quod publici mandati literis exterior forma haud majorem tribuat auctoritatem, ut proin Dracovitiis tanquam Hungariæ Regis Orator ad Synodum recipi possit, cum illius literæ a Cæsare fuissent subscriptæ. Circa secundum articulum convenerunt, eum Lusitanæ Legato esse præferendum, cum illo prior etiam Tridentum venisset, idque fieret pro consuetudine Curiæ Romanæ, quæ Legatos, qui prius Romam venerunt, etiam priores ad publicum alloquium admittere solet: Tertiam autem quæstionem dirimere renuebant Præsules, caussati, quod hoc dubium jam in Concilio sub Julio III. fuisset decisum: illud tamen consilium tunc initum præsentis temporis vicissitudini minime conveniret, quapropter potius Ecclesiastici Oratores ceteris priores ad latus dexterum collocentur, in ferendis autem suffragiis juxta electionis suæ antiquitatem incedant, cum tum non tanquam Episcopi, sed ut Legati agant: Laici vero Oratores ad sinistram sedeant, præcedantque Ecclesiasticos, qui non sunt Legati, exceptis quibusdam Ecclesiæ solemnitatibus, in quibus Episcopi Pontificios habitus, mi-

tras

trasque gestare tenentur: porro id ipsum Sæcul. XVI.
A.C. 1562.
postea in Synodo fuit observatum.

§. XVIII.

*Ferdinandi Cæsaris tanquam Hun-
gariæ Regis Oratores in Sy-
nodo excepti.*

Die sexta Februarii Ferdinandi Hun- Instrucl. p. 81
gariæ Regis Oratores mox recipien-
di jam jam cum magnifico comitatu in
Legati Pontificii ædibus convenerant:
cum vero locum Cardinale Madrutio
honoratiorem occupare, solisque Pa-
pæ Legatis cedere, se a Cæsare jussos
fuisse assererent, illis in responsis datum,
quod Ferdinandi mandata haud aliter,
quam Caroli V. jussa suis Legatis data
sint interpretanda, ac proin tunc, si præ-
ter Legatos nullus alius interesset Car-
dinalis, primum a Pontificiis locum Fer-
dinandi Oratoribus tribuatur, unde sa-
ctum, ut isti cedere obstringerentur,
quando Tridentinus, & Paccecus Cardi-
nales assistebant. Oratoribus hac ratio-
ne placatis ad eorum receptionem pro-
cedebatur, duoque Episcopi fuere ab-
legati, qui eos ad Synodum deducerent,
ad quam cum omnibus illis, qui ingredi
petebant, introducti fuere, ubi postea
Pragensis Archiepiscopus mandati sui
litteras porrexit, quæ demum publice
fuerunt recitatae.

A a 5

His

Sæcul XVI.

A. C. 1562.

His finitis Quinqueecclesiensis Episcopus pariter Cæsaris epistolam, quæ itidem perlecta fuerat, exhibuit, & suum erga Patres obsequium, ac venerationem testatus pollicitus est, quod suam illis operam pro Ecclesiæ incremento jungere vellet. Absolutis, hisce solemnibus recesserunt ambo Oratores, & Patres Massarelo, qui Synodo a secretis erat, desuper eorum sententiam rogante, hosce Legatos esse recipiendos, consenserunt omnes, exceptis tribus Lusitanis Braccarensi Archiepiscopo, Casparo Cabalio Leriano Antistite, & Joanne Xates Conimbricensi Episcopo, qui sese opposcentes palam declarabant, quod alloquium Quinqueecclesiensi Episcopo tanquam Hungariæ Regis Oratori concessum nullatenus Lusitanicæ Regis prærogativæ fraudi esse posset: eorum tamen repugnantia nullatenus obstabat, quo minus ambo Oratores ad confesum redire juberentur, quibus Massarelus prælegerat Patrum responsa, quæ Cæsaris commendatione, ac Oratorum ab eo missorum laudibus abundabant: porro cuncta hucusque gesta dein a Scribis ad acta fuere relata.

§. XIX.

*Lusitanicæ Orator in Synodo
receptus.*

Altera

Altera die septima Februarii duo Epif- Sæcul. XVI.
 copi a Legatis deputati unacum A.C. 1562.
 quadraginta aliis extra urbis portam
 procedebant, Ferdinandum Martinez
 Mascarenium Sebastiani Lusitanæ Re-
 gis Oratorem excepturi: postridie vero
 scilicet octava ejusdem Mensis die Fer-
 dinandus ad quamdam Congregationem
 admissus tanquam Regis Legatus agno-
 scebatur, perlectoque ejus mandato, qui-
 dam Doctor, qui cum eo venerat,
 verba faciens sat prolixum habuit ser-
 monem, in quo Synodi, præcipue au-
 tem Tridentinæ utilitatem commendans
 hæc addebat: „ Rex meus certo spe-
 „rat, Concilii hujus ope, & opera cun-
 „ctas Religionis controversias direm-
 „ptum, Ordinemque Ecclesiasticum ad
 „Evangelii puritatem revocatum iri:
 „quam ob rem is Ferdinandum tanquam
 „Regiæ pietatis testem, suæque erga
 „Ecclesiam submissionis obsidem ad Sy-
 „nodum misit, nec minus Lusitanæ
 „quoque Episcopi, qui jam advenerunt,
 „ac brevi venturi sunt, Regis obsequium
 „testabuntur.„ Postea plurimum de-
 prædicabat priscorum Lusitanæ Regum
 pietatem, studiumque, quo animati tot
 Orientis Provincias Sedis Apostolicæ
 imperio subjecerunt, præcipue cum ipse-
 met Sebastianus Rex heroicas Majorum
 suorum virtutes pari zelo imitetur: ne-
 que

Sæcul. XVI. que jactatam relinquebat hic Doctor ipsius
A.C. 1562. Mascarenii Oratoris nobilitatem, præ-
 clarasque animi dotes, tandemque Pa-
 tres hortabatur, ut illum benigne exci-
 perent, siquid forte de Lusitanæ Ecclesiæ
 negotiis agendum occurreret.

*Labbe Col-
 lect. Conc.
 tom. 14. p.
 1146.*

Ad hæc Synodi Promotor hunc in
 modum respondit: „Mandatum, & li-
 „teræ Serenissimi Portugalliæ Regis,
 „quæ modo a Dominatione vestra ex-
 „hibitæ in hoc sacro loco recitatæ fue-
 „runt, nec non ea, quæ ornatissima ora-
 „tione exposita sunt, huic sanctæ Syno-
 „do jucundissimum nuntium attulerunt,
 „cum declararent eximiam quamdam,
 „ac perpetuam clarissimorum Portu-
 „galliæ Regum, ac præcipue Serenissi-
 „mi Sebastiani Regis in Deum pieta-
 „tem, in signe in Rempublicam Christia-
 „nam studium, ac summam erga hoc œ-
 „cumenicum, & generale Concilium
 „observantiam, licet nihil novi huic
 „sanctæ Synodo allatum sit; nemo enim
 „est, cui compertissima non sunt præcla-
 „ra Regum Lusitanæ facinora ad chri-
 „stianam Religionem, veramque Christi fi-
 „dem in Orientis partibus propagandam;
 „non minor tamen Majestati suæ, majori-
 „busque ejus piissimis, & clarissimis Re-
 „gibus laus, & gloria hac tempestate
 „debetur, quod in his calamitosis tem-
 „poribus, tot diffidiis, totque in Eccle-
 „sia

„fia exortis hæresibus, Regna, & ditio- Sæc. XVI.
 „nem suam in orthodoxa fide, Ecclesiæ- A.C. 1562.
 „que Catholicæ unitate, uti vere chri-
 „stianos Principes decet, semper confer-
 „vaverint, atque in barbaris, & idolorum
 „cultui deditis nationibus ad veram Re-
 „ligionem traducendis strenuam operam
 „impenderint: quam ob rem hæc fan-
 „cta Synodus Deo, & Patri Domini no-
 „stri Jesu Christi meritas de his omni-
 „bus gratias agit, Dominationemque
 „vestram, tum ipsius Regis causâ, tum
 „ob singularem ejus prudentiam, ac fan-
 „guinis splendorem grato; ac benevolo
 „animo recipit: regium vero mandatum,
 „quantum de jure debet, admittit.

§. XX.

*Alius quidam Cæsaris Orator
exceptus.*

Die nona Februarii Sigismundus
 Thuun, qui Miglizii Pragensis Ar- Pallav. n. 5.
 chiepiscopi in legatione socius nomine Labb. l. c.
 Ferdinandi Cæsaris pridie Tridentum p. 135.
 delatus erat, in quadam Congregatione
 recipiebatur, atque tanquam Legatus
 agnoscebatur, cujus æque, ac Miglitii
 mandata, cum jamjam in quodam Pa-
 trum conventu die sexta ejusdem Men-
 sis fuerint perlecta, haud ultra recita-
 bantur, sed ipsi Legati absque nova pom-
 pa fuere excepti: igitur die decima
 tertia

Sæc. XVI.
A.C. 1562.

tertia Februarii omnibus in primi Legati domo congregatis ambo Cæsaris Oratores, Miglitius, ac Thuunus Ferdinandi Principis sui nomine quædam postulata scripto exhibebant, quapropter Synodi Præsides hac super re datis literis Papam consulere altera die cogebantur, ut ante ultimam Congregationem, quæ sessioni proximæ præmitteretur, responsum accipere possent: porro hæ Oratorum literæ quinque continebant articulos, quorum summam huc referimus.

Die 18. Febr.
1562. fusius
in documen-
tis datis a
Cæsar. Orat.
I. Jan.
apud Labb.

I. Pontificis Legati, cum haud ignorare possint nefanda Protestantium molimina, quibus Synodi celebrationem eludere nituntur, omnem sua consilia exequendi prætextum submovere studeant, atque ideo sedulo devitent hæc verba: *Concilii continuatio*, aut alias ejusmodi voces, quarum nulla fiat mentio in Sessione sequenti, si tamen hos hæreticos ad Synodum allicere velint.

II. Examen doctrinæ, atque articulorum fidem concernentium tamdiu, quamdiu poterunt, differant, nec etiam proximam Sessionem die præstituta habeant, cum plurium Principum Oratores nondum advenissent: si vero Patres Sessionem celebrari omnino vellent, nec ea ulterius prorogari valeat, saltem ibi non nisi negotia generalia, minus-

minusque principalia proponantur, nullo autem pacto de rebus majoris momenti agatur.

III. Pariter in librorum prohibitorum Indice, in quo concinando jam plures Patres infudare jubebantur, nulla fiat mentio de Confessione Augustana: si enim illa proscriberetur, Protestantes non modo ad Synodum venire renuerent, sed forte etiam ad ausus Religioni oppido funestos provocarentur, vindictæ fumendæ desiderio eo magis accensi, quo petulantius ingentes tumultus in Gallis exortos in rem suam vertere possent.

IV. Omni studio arcana serventur decreta in Congregationibus condenda, nulloque pacto de iis mentio fiat, priusquam in Sessionibus fuissent promulgata.

V. Circa publicæ securitatis literas, quas Synodus Protestantibus daret, Cæsar postulat, ut illis diploma juxta eorum vota amplissimum concedatur, cum id omnino necessarium foret, omnesque Patres in hoc consensisse viderentur. „ Adimpletis hisce conditionibus, prosequerentur Legati, injunctum est nobis a Cæsare Domino nostro, ut Legatos, quotiescunque vocati fuerimus, ad eam, ac nulli parcamus labori, quatenus illos nostris con-

„ filiis

Sæcul. XVI.

A.C. 1562.

*Acta Conc.**Trist. A-**stroph**servant.*

Sæc. XVI. „siliis adjuvemus, junctaque cum eis
 A C 1562 „opera plene uniti agamus.”

§. XXI.

*Legatorum responsum ad hæc Ora-
torum propositiones.*

*Pallav. c. 20.
 n. 7.
 Rayn. hoc
 ann. n. 17.*

Ad hæc propositiones Legati, ut re-
 spondere possent, aliquot dierum
 spatium sibi concedi postulabant, cum-
 que circa hæc postulata Romam scri-
 psissent, accepto Pontificis responso O-
 ratores monebant, quod circa libellum
 ab eis porrectum mentem suam aperire
 parati essent: itaque eadem die Cæsa-
 ris Legati in Cardinalis Mantuani pri-
 mi Legati Pontificii domo conveniunt,
 ubi conventu habito illis circa quinque
 propositiones ab eis factas, & quidem
 ad primam responsum dabant hunc in
 modum: „*Illustrissimi, & Reverendissimi*
 „*DD. Oratores, quod petant Dominationes*
 „*vestræ, ne qua fiat in prima Sessione con-*
 „*tinuationis mentio, non gravatim illis*
 „*concedetur, neque in ea quidquam tracta-*
 „*bitur, quod ad continuationem pertinere*
 „*videri possit, aut ullam significationem*
 „*habeat: quod vero præterea, quod secun-*
 „*dum concernit propositionem, rejici cu-*
 „*piant Sessionem ad 27. Februarii indi-*
 „*etiam in aliud longius tempus, id facere*
 „*nobis integrum non est, quandoquidem con-*
 „*ficiendi decreti de Indice corrigendo non-*
 „*nullis*

„nullis ex Patribus mandatum esse non i- Sæcul. XVI.
 „gnorant, quod in prædicta Sessione publi- A.C. 1562
 „cari oportebit; hoc autem in Cæsareæ
 „Majestatis gratiam libenter faciemus, ut
 „amplius aliquod spatium demus proximæ
 „futuræ Sessioni; interjecto vero tempore,
 „quibus de rebus tractandum sit, Et qui dies
 „illi præfigendus, una cum Patribus deli-
 „berabitur, ita tamen, ut nihil pertracte-
 „tur, quod ullo pacto animos irritare, vel
 „perturbare possit.

Ceterum Imperatoris Oratores Ses-
 sionis ad diem vigesimam sextam Fe-
 bruarii indictæ prorogationem eo exca-
 pite petebant, quod exitum præstola-
 rentur comitiorum, quæ Cæsar in Ger-
 mania convocaverat, atque in illis,
 quicquid Protestantes ad Synodi acces-
 sum permovere posset, adhibere decre-
 verat: ex altera vero parte timendum
 erat, ne Hispani, ac Galli, si hæc dila-
 tio concedatur, a Concilio recederent,
 quapropter Patres illam admittere re-
 culabant, ad tertiam vero petitionem
 hæc respondebant: *De damnanda statim
 ab initio Confessione Augustana ne cogi-
 tatum quidem est a nobis unquam, quan-
 doquidem de librorum prohibitorum indice,
 nisi sub fine Concilii, nihil decerneretur;*
 quam ob rem, Et in hoc libenter Domi-
 nationibus vestris gratificabimur, prout
 promissimus. Quarto, quod Cæsar admo-

Hist. Eccles. Tom. XLIV. Bb nere

Sæc. XVI.
A C. 1562.
nere voluerit, ut ratio ineatur, qua pro-
videri possit, ut ea, quæ tractantur in Con-
gregationibus, non promulgentur, dabitur
a nobis opera, ut, quoad fieri poterit, pro-
videatur, cum ipsimet hujus consilii necessi-
tatem agnoscamus: unde toti in eo erimus,
ut de decretis, priusquam in Sessionibus
promulgentur, nulla mentio fiat.

Denique ad quintam petitionem circa
publicæ securitatis diploma Legati hæc
responderunt: *salvum conductum dabimus,*
quemadmodum alias a Protestantibus pe-
titus, & illis concessus fuit in amplissima
forma: quod idem facturam quoque Ma-
jestatem Cæsaream confidimus, ut omnis
querendi ansa Protestantibus præripiatur.

His dictis Legati Oratoribus declara-
bant, quod Cæsari summas rependerent
grates, eo quod Legatis suis præcepisset,
ut Pontificis Legatos suis consiliis
juvarent, vicissim vero ipsi eorum o-
peram semper gratam habere vellent.

§. XXIII.

Epistola Francisci Vargas ad Grana-
tensem Archiepiscopum.

Pallav. c. 20.
n. 9.
Sub idem tempus Vargas Orator ad
Granatensem Archiepiscopum literas
dabat, quibus de Hispanis Præsulibus
querebatur, quod ea, qua debuissent, a-
nimi

nimi firmitate suæ petitioni, qua Synodum nuper inchoatam veluti *Tridentis* continuationem declarari postulabant, non institissent, simulque ea verba: *Propo-*
nentibus Legatis decreto inseri permisissent, cum tamen illis Catholici irritari, Protestantes vero in suspicionem induci possent, perinde ac si Legati in hac Synodo pro summo imperio res decidere prætenderent: insuper hic idem Orator in sua epistola hortabatur Episcopos, ut in proxima Sessione hæc verba corrigi curarent, vel, si eorum petito non satisfiat, una omnes a confesso recederent: si tamen ejusmodi consilium nimis acerbum videretur, eos admonebat, ut saltem Sessionis prorogationem usque ad Hispani Oratoris adventum, vel hucusque gestorum abrogationem peterent, quamvis ea omnia, prout putabat Vargas, suapte natura pro irritis essent habenda, cum Synodi opus non sit, nec a legitima auctoritate, ac jurisdictione profectum: Verum Hispani, exceptis paucis, huic consilio non acquievere, ac Granatensi Archiepiscopo, qui ad eos hujus epistolæ summam perscripserat, responderunt, quod Regis voluntati ea qua par est, promptitudine morem gerere parati essent, nullatenus tamen in animum inducere possent, ut

Bb 2

Licentia-

Sæcul. XVI,

A. C. 1562.

Sæcul. XVI. A.C. 1562. Licentiati (*) Vargæ opinionem, quam certe mandati loco habere nequirent, sequerentur, de cetero autem sufficeret, quod Patres promississent, Inquisitionis tribunali nihil derogatum iri. His interea gestis Legati Sessionem usque ad decimum quartum Maji diem esse differendam proponebant, caussati, quod hac ratione satisfaceret non modo Cæsareis, trimestris prorogationem petentibus, sed etiam Papæ votis, qui Sessionem usque ad primam Martii diem differri permiserat: Verum hanc moram Hispani quidam Præfules, nonnulli Lusitani, pluresque Itali damnabant, exponentes, malis, quæ Ecclesiam agitant, promptum opponendum esse remedium, cum calamitates per longiorem moram haud sanandæ viderentur. His reposuit Dracovitius Quinqueecclesiensis Episcopus: „si Synodi Patres suas Diceceses in Germania haberent, propria „experientia edocti scirent, quod præceps consilium, & præmaturus fervor „ingentium malorum causa existat.

His

(*) Pallavicinus ad hoc verbum sequentia observat: *Licentiati vocantur apud Hispanos, qui peractis disciplinarum studiis merentur quidem lauream, sed quo sumptibus pro ea obtinenda immodicis parcant, inferiori titulo contenti sunt.*

His quoque Mantuanus Cardinalis primus Legatus addebat, a se animadverti, quod pluribus, suum zelum exerendi occasionem hac mora Tridenti furripi, molestum accideret, cum tamen ingens exinde emolumentum traheretur, eo quod Cæsaris voto satisfaceret, simulque Synodi Patrum causa vindicaretur adversus eos, qui abs dubio observarent, capitali, quo Synodum in hæreticos ferri, credunt, odio nonnisi summo charitatis ac lenitatis affectu responderi. Huic Legati sententiæ Patrum quamplurimi acquievere.

Sæcul. XVII.
A.C. 1562.

§. XXIV.

Congregatio Sessioni præmissa.

Denique Congregatio, quæ Sessionem proxime præcederet, habita est vigesima quarta Februarii die, qua Quinqueecclesiensis Episcopus sua mandata, agendique facultates adhuc magis legitimas, quam antea in Conventu die sexta ejusdem Mensis exhibuerat, Synodi Patribus tradebat, simulque prolixo sermone Ferdinandum Principem suum comparabat Constantino Magno, eo quod & ipse pari Religionis studio animatus esset, eumque Deus ad præsentis ævi miseras potenter sublevandas selegisset. His præmissis cunctos labores, quos idem gloriosissimus Cæsar ad

Sæcul. XVI
A. C. 1562.

Synodi convocationem contulerat, re-
censebat, simulque commendabat il-
lius studium, ac magnum Legatos suos
præ ceteris aliis Principibus ad Syno-
dum mittendi ardorem, non modo
quatenus esset Hungariæ Rex, sed etiam
tanquam Imperator: denique orationi
sue finem imponens Synodi Patribus
grates rependit, quod ipsum tanquam
Legatum recipere, & agnoscere vo-
luerint, etsi tantum Cæsaris epistola mu-
nitus fuisset, priusquam legitima agendi
mandata ab eodem recepisset. Abso-
luto hoc sermone recitabatur decretum
in proxima Sessione promulgandum,
quod Deputati verbis omnino generali-
bus conceperant, partim ne Germanos
publicationem Indicis differri petentes
offenderent: partim vero id fecerant,
eoquod tanti moliminis negotium pro
maturiori discussione longioris temporis
spatium deposceret.

§. XXV.

*Primi Legati monitum ad Synodi
Patres de servando silentio.*

Raynald ad
ann. 1562.
num. 18.
Sarpus hist.
Co. c. Trid.
l. 6. p. 460.

Postmodum pollicitatio Cæsareis facta,
vi cuius Religiosum silentium Patri-
bus summopere commendandum spon-
debatur, integra prorsus fide adimple-
batur per Cardinalem Mantuanum, qui
cum maxima gravitate, ac modestia
hujus

hujus rei necessitatem exponens decla-
 rabat, quod præmatura decretorum di-
 vulgatione totius negotii spem everti,
 merito timendum esset: (*) „quinimo,
 „inquebat Mantuanus, etsi hoc quidem
 „periculum non immineret, certe con-
 „silia, quo tectiora habentur, eo ma-
 „jori apud homines opinione sunt, ac
 „reverentia, atque ex adverso, si in-
 „tempestiva eorum fit promulgatio,
 „sæpe præceps ejusmodi festinatio in
 „Conventus ignominiam cedit, semper-
 „que aliqui in congressibus reperiuntur,
 „qui nec ea, qua decet, circumspectio-
 „ne utuntur, nec decori fatis confu-
 „lentes, evulgatis ejusmodi sanctioni-
 „bus universo confessui labem aliquam
 „adspergunt, neque ullum fere est col-
 „legium, aut Concilium sive Ecclesia-
 „sticum, sive sæculare, sive exiguum,
 „sive frequens, cui non suæ taciturni-
 „tatis leges sunt indictæ, & jurisju-
 „randi vinculo, aut pœnarum denun-
 „ciationibus plurimum firmatæ: ista

B b 4 vero

(*) Observandum, quod Continuator hoc
 Legati monitum nimis fideliter ex Sarpio suo
 descripserit, illud vero, quod Raynaldus, li-
 cet illum primo loco allegarit, ex suo origi-
 nali adduxit, omnino prætermittendum cen-
 fuerit, quia Sarpii verba calumniantibus amplio-
 rem suppeditant materiam.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1561.

Sæcul XVI
A.C 1562

„vero Synodus viris adeo prudentibus
„constat, ut ii nullo, nisi proprii ju-
„dicii vinculo, constringi debeant:
„porro hæc non tam Patrum, quam col-
„legarum, imo mei ipsius gratia dico,
„eoquod deceat unumquemque sibi ipsi
„officii sui esse monitorem.,, Post hæc
commemoratis difficultatibus, quæ in
agitanda quæstione de securitatis li-
teris inciderant, singulos hortatus est,
ut in eam nihilominus cuncti cogitatio-
nes omnes conferrent; nam si ante Ses-
sionem plene de hoc articulo nihil sta-
tutum posset, tunc, dicebat, clausula de-
creto apponenda foret, vi cujus etiam
in Congregatione extra Confessum hu-
jus securitatis literas concedi posse de-
claretur.

Ceterum cum Papa Synodum re-
tardari ægre ferret, ad suos Legatos
perscripsit, quod haud æquum sit, ut
Episcopi præcipue pro pertractandis re-
bus, quæ jamjam antea per tot alia
Concilia decisæ fuissent, tanto tempore
extra suas dioceses morentur, quapro-
pter Sessiones prosequi deceat: nec
his contentus Pontifex, insuper studiose
Hispaniæ Regi cuncta, quæ petierat,
concessit, ut illum ad sua pertraheret
studia, eoque induceret, ut Rex suis
Episcopis præciperet, quatenus in Sy-
nodo

nodo sese magis dociles, minusque obstinatos exhibeant.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

§. XXVI.

Synodi Sessio decima octava, atque secunda sub Pio IV.

Præfixa die vigesima sexta Februarii Sessio celebrabatur decima octava, quæ sub Pio IV. secunda erat: ubi mane Patribus omnibus in majori Ecclesia congregatis Antonius Elius Jerosolymitanus Patriarcha rem divinam solemniter decantabat, orationem vero latinam habebat Antonius Caucus Patrum Archiepiscopus, alias dictus Archipræsul Corcyrensis, qui molimina, quibus hæretici suam Sectam propagare, atque augere nituntur, fusius enarrabat, & Patres, ut eorum ausibus ob-

*Pallav. l. 15.
cap. 21. n. 1.
& seq.
Labb. p. 841.*

sisterent, his verbis hortabatur: *In ea proh dolor! miserrima incidimus tempora, ut, quod sine lacrimis enarrare non possum, immensa flagitia, & sacrilegia, ex nefanda recentiori hac Lutherana hæresi, cujus quidem extirpandæ causâ huc convenimus, in Dei Ecclesia orta esse videamus, nempe Ecclesiarum bona direpta, templa solo aquata, Monasteria non solum proventibus suis, & incolis destituta, verum etiam funditus eversa, Sanctissimum Christi Vicarium, verumque Petri Successorem Pontificem optimum Maximum, Episcopos, reli-*

Bb 5 quos-

Sæc. XVI.
A.C. 1562

2. Petr. 3.
vers. 3.

quosque Dei Sacerdotes neglectos, honoribus debitis privatos, maximis affectos contumeliis, injuriisque laceffitos, Deo dicatas Virgines stupratas, earumque bona ablata, venerandas Sanctorum imagines rejectas, & eorum cineres contemptos, Sacramenta Ecclesie explosa, atque conculcata, Sacros denique Ecclesiasticos Canones, ac Constitutiones igni traditas, ritusque omnes divinos penitus sublatos: Verum enimvero antiquas hæreses extinctas jam, Manichei, Joviniani, Vigilantii, Pelagii, Euthychetis, Felicis, Albigensium, Waldensium, Berengarii, Marsilii Patavini, Joannis Wicleffi, Joannis Hus, Hieronymi de Praga, & ceterorum a Sanctis Patribus nostris in Conciliis sæpius confutatas, & toties rejectas sustinere voluerunt infelicissimi homines isti, & Divina, Christianaque dogmata a Christo Servatore nostro instituta, ac ab eisdem Sanctis Patribus nobis per manus tradita, divinitusque a Conciliis sancita, & a Pontificibus Sanctissimis confirmata evertere, vanaque esse, ac inutilia nobis effutire non dubitarunt, latamque viam, quæ ad infernum ducit, Christi Doctrinæ immemores, & Epicureorum mores secuti sibi construxerunt, de quibus sensisse mihi videtur Petrus Apostolus inquit: venient in novissimis diebus in deceptione illusores juxta proprias concupi-

cupiscentias ambulantes, *hinc tam longe, lateque pervagatum est incendium, &c.* Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

§. XXVII.

Diffidium inter Lusitanicæ, & Hungaricæ Regum Oratores.

Peracta re divina, precibusque pro *Pallav. l. c.*
more recitatis in hac Sessione præ-
primis Oratorum mandata, ac publicæ
facultatis literæ prælegebantur, & qui-
dem primo Massarelus, qui Patribus
ab epistolis erat, recitabat duo illa man-
data, quorum unum Ferdinandus Cæ-
sar nomine Imperii Miglitio Pragensi
Archiepiscopo, ac Sigismundo de
Thun ejus socio, alterum vero pro
Hungariæ Regno Dracovitio Quinque-
ecclesiensi Episcopo dederat: verum Ma-
scarenius Lusitanicæ Orator demandatæ
sibi facultatis diploma nec tradere, nec
prælegi voluit, questus, quod per nu-
peram mandati lectionem suo Regi Hun-
garicæ Rex fuisset antepositus, hac au-
tem ratione suo Principi ingens honoris
damnum inferretur: ast Massarelus
eidem reponebat, hac mandatorum reci-
tatione Regis Lusitanicæ prærogativis om-
nino nil derogari, cum Romanæ curiæ
mos suaderet, ut illorum Oratorum,
qui primi Romam perveniunt, man-
data prius prælegerentur, quæ etiam
consuetudo in præsentis Concilio obser-
vata

Sæcul. XVI
A. C. 1562

vata esset: cum autem hic Lusitanus nec latini, nec Itali sermonis gnarus esset, propositis Massareli rationibus, quas neutiquam comprehenderat, nullatenus cedebat, sed aucta animi sui commotione iram haud ponebat, donec Legati Pompæum Zambecari Sulmonæ in Apprutio, ac Neapolis Regno Antistitem Lusitani idiomatis probe gnarum, necnon Casparum Casalium S. Augustini Religiosum, & Leriensem Episcopum rogarent, ut Interpretes agerent, atque Oratori rem explicarent: quo facto Lusitanæ Orator suam agendi facultatem exhibuit, ea lege, ut Secretarius, priusquam hoc diploma prælegeret, palam testaretur, quod Hungariæ Regis literas non alia ex causa prius recitasset, quam ex hac, quod illius Orator Tridentum prior adventasset, hæcque agendi ratio nullatenus Lusitanæ Regis dignitati, qua Hungariæ Regem præcedit, deroget.

Verum Dracovitius, qui e regione Lusitani Oratoris confederat, ac non sine indignatione hanc contentionem adeo frivolis rationibus innixam perceperat, ne ejus adversarius emendationem in suo mandato per Massarelum prælecto factam in rem suam verteret, veritus, adversus hucusque acta, & alia similia in posterum agenda reclamabat:

mabat: mox tamen Madrutius Cardinalis propius Quinqueecclesiensem Episcopum accedens eidem exponebat, quod tum utilissima ratione Ferdinando Domino suo infervire posset, si potius Concilii utilitatem totis viribus promoveret, quam vanis oppositionibus tempus frustra tereret. Huic monito quanto-
 cius acquievit Dracovitus, auctoritate, Regisque sui dignitate palam amplis elogiis celebrata.

Sæc. XVI.
 A.C. 1562.

Postea diversæ prælegebantur literæ Pontificis, qui librorum prohibitorum indicem conficiendi curam Synodo remittebat, eoque facto aliud recitatum fuit ejusdem Papæ diploma circa Stationes pro more Romano durante verno jejuniis Tridentinis concessas: denique tertium producebatur diploma de ordine, quem Episcopi juxta electionis suæ antiquitatem servarent, nulla habita ratione privilegiorum, quæ Primates obtenderent: his ita dispositis Patriarcha Jerosolymitanus, qui rem divinam solemniter peregerat, consensu suggestu sequens decretum de librorum prohibitorum Indice prælegit.

§. XXVIII.

Decretum de librorum delectu, Et omnibus ad Concilium fide publica invitandis.

Sacro-

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Sacrosancta Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis legatis, non humanis quidem viribus confisa, sed Domini nostri Jesu Christi, qui os, & Sapientiam Ecclesie suæ daturum se promisit, ope, & auxilio freta, illud præcipue cogitat, ut Catholicæ fidei doctrinam, multorum inter se dissidentium opinionibus, pluribus locis inquinatam, & obscuratam, in suam puritatem, & splendorem aliquando restituat, & mores, qui a veteri instituto deflexerunt, ad meliorem vitæ rationem revocet, corque Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres convertat: cum itaque omnium primum animadverterit, hoc tempore suspectorum, ac perniciosorum librorum, quibus doctrina impura continetur, & longe, lateque diffunditur, numerum nimis excrevisse, quod quidem in causa fuit, ut multæ censuræ in variis Provinciis, & præsertim in alma Urbe Romana, pio quodam Zelo editæ fuerint, neque tamen huic tam magno, ac pernicioso morbo salutarem ullam profuisse medicinam, censuit, ut delecti ad hanc disquisitionem Patres de censuris, librisque, quid factu opus esset, diligenter considerarent, atque etiam ad eandem Sanctam Synodum suo tempore referrent, quo facilius ipsa possit varias, & peregrinas doctrinas, tanquam Zizania, a Christianæ veritatis
trítico

tritico separare, deque his commodius de-
 liberare, & statuere, quæ ad scrupulum
 ex complurium animis eximendum, & tol-
 lendas multarum querelarum causas magis
 opportuna videbuntur. Hæc autem omnia
 ad notitiam quorumcunque deducta esse vult,
 prout etiam præfenti decreto deducit: ut, si
 quis ad se pertinere aliquo modo putaverit,
 quæ vel de hoc librorum, & censurarum
 negotio, vel de aliis, quæ in hoc generali
 Concilio tractanda prædixit, non dubitet a
 Sancta Synodo se benigne auditum iri.

Quoniam vero eadem Sancta Synodus
 ex corde optat, Deumque enixe rogat, quæ
 ad pacem sunt Ecclesiæ, ut universi com-
 munem Matrem in terris agnoscentes, quæ,
 quos peperit, oblivisci non potest, unanimes
 uno ore glorificemus Deum, & Patrem
 Domini nostri Jesu Christi, per viscera mi-
 sericordiæ ejusdem Dei, & Domini nostri
 omnes, qui nobiscum Communionem non ha-
 bent, ad concordiam, & reconciliationem,
 & ut ad hanc Sanctam Synodum veniant,
 invitat, atque hortatur, atque charitatem,
 quod est vinculum perfectionis, amplectan-
 tur, pacemque Christi exultantem in cordi-
 bus suis præseferant, in quam vocati sunt
 in uno corpore. Hanc ergo non humanam,
 sed Spiritus Sancti vocem audientes ne ob-
 durent corda sua, sed in suo sensu non am-
 bulantes, neque sibi placentes, sed ad tam
 piam, & salutarem Matris suæ admonitio-
 nem

Sæcul XVI.
 A.C. 1562.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.
nem excitentur, & convertantur: omnibus enim charitatis officiis Sancta Synodus eos, ut invitat, ita complectetur.

Insuper eadem Sancta Synodus decrevit, fidem publicam in Congregatione Generali concedi posse, & eandem vim habituram, ejusdemque roboris, & momenti futuram, ac si in publica Sessione data, & decreta fuisset.

Postmodum indicta Sessione proxima idem Præsul, qui prius decretum recitaverat, sequens quoque prælegit: Eadem Sacrosancta Synodus Tridentina, in Spiritu Sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis legatis, statuit, & decrevit, proximam futuram Sessionem habendam, & celebrandam esse feria quinta post Sacratissimum festum Ascensionis Domini, quæ erit die decima quarta Mensis Maij.

S. XXIX.

Difficultates a Granatensi Archiepiscopo contra hoc decretum propositæ.

Pallav. c. 21.
num. 3.
Utrumque hoc decretum ab omnibus fuit approbatum, excepto Archiepiscopo Granatensi, qui solus inter Hispanos veterem de Synodi titulo cavillationem innovabat, hæc verba adjici postulans: Universam Ecclesiam representans, prout in recentioribus Conciliis fuisset

fuiſſet uſurpatum: porro inter illos, qui hoc decretum ratum habebant duo, vel tres inueniebantur, qui ſuum ſuffragium quibusdam levis omnino momenti conditionibus temperare ſatagebant, & quidem Jacobus Gilbertus Noguera Hiſpanus, Alliphæ in Terra-Laboris Episcopus obſiſtebat illis decreti verbis, in quibus dictum: *Catholicæ fidei doctrinam multorum inter ſe diſſidentium opinionibus inquinatam fuiſſe.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Circa alterum decretum, quo Sefſio proxima ad decimam quartam Maij diem indicebatur, duodecim Episcopi ferme omnes, aut Hiſpani, aut Luſitani contendebant, adjecta clauſula eſſe declarandum, quibus negotiis Synodi Patres per trimestre, quod uſque ad Sefſionem interfluit, intenti eſſe deberent, ne illis objici poſſet, quod otio, ac voluptatibus tabeſcentes Tridenti hæſiſſent, quam ob rem quorundam erat opinio, quod interea utilia proponantur ſtatuta circa morum emendationem: porro ſolus Joannes Beroaldus Panormitanus ad Sanctam Agatham Episcopus porrecto Patribus libello, ne Sefſionem tamdiu differrent, rogabat, demonſtrans, quod tanta mora nullatenus ad revocandos hæreticos conducatur, plurimum vero Catholicis noceat.

Hiſt. Eccleſ. Tom. XLIV. C c Ve

Sæcul. XVI. Verum his rationibus flocci habitis Legati sessione finita discesserunt.
A.C. 1562.

§. XXX.

*Publicæ securitatis literæ Galliarum
 Reginae jussu immutatæ.*

*Pallav. l. 16.
 6. 3. n. 8.*

His ita peractis unica Patrum sollicitudo eo erat intenta, ut promissæ securitatis literæ conficerentur, quarum norma jam ineunte Mense Januario ad Ferrariensem Cardinalem Franciæ Legatum fuerat transmissa, ut Regi, ejusque Matri Reginae exhiberentur, eorumque consensus desuper exquireretur: cum autem Cardinalis ob podagræ dolores lecto affixus hæreret, hinc datis ad Reginam literis hoc diploma misit, ut illud examinari juberet, quæ etiam elapsis aliquot diebus eundem Cardinalem visum ibat, significans, quod in datæ securitatis literis clausulam hanc illis insertam, *dummodo ipsimet ex corde redeant, ac resipiscant*, minus ratam haberet, eoquod ex his verbis inferri videretur, de securitate cautum non esse illis, qui disputandi, aut doctrinæ suæ rationem reddendi animo Tridentum venirent: verum Cardinalis Reginae fidem fecerat, Pontificis animum esse, quod Synodus plena libertate gauderet, omnibusque suas difficultates proponendi facultas daretur, ac proin, cum
 cunctis

cunctis sponte suos errores abjurantibus
 venia promitteretur, nequaquam ii,
 qui illis immorari vellent, a securitatis
 fide excluderentur: cum tamen hac pro-
 missione turbidi Calvinistarum animi in
 Gallis placari haud possent, ac insulse
 prorsus objectarent Joannis. Hussi sup-
 plicium, decretumque, vi cuius Con-
 stantiense Concilium eos hæreticos, qui
 duntaxat Principum profanorum literis
 muniti forent, in jus vocandi liberta-
 tem Judicibus Ecclesiasticis permitte-
 bat, quapropter Ferrariensis Cardina-
 lis ejusmodi securitatis diploma absque
 omni restrictione concedendum, ple-
 namque ad sua revertendi libertatem
 Protestantibus promittendam, existima-
 bat, etiamsi errores suos non ejurent,
 nec ad finem Ecclesiæ revertantur: ita-
 que hac super re literas dabat ad sum-
 mum Pontificem, qui illius monitis ce-
 dens Tridentum ad suos Legatos per-
 scripsit, ut hæc verba: *dummodo ex corde*
redeant, delerent, atque accurrate for-
 mam sequerentur illius sponsonis, quæ
 Anno Christi millesimo quingentesimo
 quinquagesimo quinto Germanis a Sy-
 nodo fuisset facta.

§. XXXI.

*Præsules pro concinnandis securitatis
 literis nominati.*

C c 2

Abso-

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Absoluta Sessione quantocius Legati pro conficiendo securitatis diplomate quatuor nominabant Episcopos, Joannem Baptistam Castaneam Rossanum Archiepiscopum, Augustinum Salvagum Archipræsulem Genuensem, Hugonem Boncompagnum, postea in Papam electum, ac Gregorium XIII. nominatum, & denique Gabrielem Paleottum, qui neglectis plurium privatorum opinionibus, quarum nonnullæ plus æquo acerbæ, ac aliæ factu nimium difficiles erant, hanc impunitatis cautionem absque omni restrictione esse concedendam autumabant: cum ergo omnes ferme Patres hanc sententiam unanimi suffragio amplecterentur, Synodi Promotori negotium dabatur, ut diploma nunc confectum ad acta referret iisdem omnino verbis, quæ adhibebantur in Sessione V. die vigesimo quinto Januarii Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo sub Julio III. celebrata.

Labb. pag.
844.

Hæ publicæ fidei literæ in tres partes erant divisæ, in quarum prima Synodi Patres cavebant Nationi Germanicæ iisdem omnino verbis, quibus in literis anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto utebantur: in secunda vero parte subjungebant, quod omnibus, qui ab Ecclesiæ Romanæ fide

fide recefferunt, cujuscunque sint Nationis, Provinciæ, urbis, aut loci, eandem sponfionem faciant, quæ Germanis jam antea concessa fuisset: porro percipiamus propria Synodi verba, quæ in ejusdem gratiæ extensione pro ceteris Nationibus ad hujus diplomatis finem adjuncta leguntur: *Eadem Sacrosancta Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, præfidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis de latere legatis, omnibus, & singulis aliis, qui nobiscum in iis, quæ sunt fidei, communionem non habent, ex quibuscunque Regnis, nationibus, Provinciis, Civitatibus, ac locis, in quibus publice, & impune prædicatur, vel docetur, sive creditur contrarium ei, quod Sancta Romana sentit Ecclesia, dat fidem publicam, sive Salvumconductum, sub eadem forma, & eisdem verbis, quibus datur Germanis.*

Hæc ipsa clausula tertiam hujus diplomatis partem constituit, in qua Patres declarant, quod, quamvis in hoc diplomate non singulæ Nationes ob legitimas causas, comprehensæ videantur, nequaquam tamen propterea quisquam illorum exclusus crederetur, qui pœnitentia ducti ad Ecclesiæ obsequium reverti voluerint, cujuscunque demum patriæ fuerint.

Sæc. XVI.
A. C. 1562.

Sæcul. XV.
A.C 1562.

§. XXXII.

F dei publicæ decretum promulgatum.

*Pallav. c. 1.
num. 6.
Raynald.
hoc ann n. 22.
§ 23.*

Itaque securitatis literæ hoc modo con-
fectæ die octava Martii publici juris
factæ sunt, majoris Ecclesiæ valvis af-
fixæ: postea vero Legatorum cura eo
abibat, ut illarum aprographa ad om-
nium Principum aulas deferrentur, præ-
cipue vero ad Ferrariensem Cardina-
lem Franciæ Legatum ejusmodi diploma
transmittebant unacum duabus epistolis
ad eum datis, in quarum prima Regio
Senatui exhibenda hanc cautionem ty-
pis edendi, eamque per omnes Regni
Provincias divulgandi facultatem pe-
tebant: altera autem epistola erat se-
creta, in qua Legato significabant, in
hoc diplomate studiose Franciæ nomèn
fuisse suppressum, ne cum hujus natio-
nis ignominia manifestum fieret, Gal-
liarum Regnum hæresis veneno infe-
ctum esse.

§. XXXIII.

*Cæsareorum Oratorum postulata ad
Legatos.*

*Pallav. l. 16.
c. 1. n. 10.*

Postquam Cæsaris Oratores datæ se-
curitatis diploma integra fide tran-
scriptum a Papæ Legatis receperant,
fese oppido contentos exhibebant, si-
mulque eis duos porrigebant libellos,
in

in quorum primo, ut Synodus publicis literis Protestantes Tridentum invitaret, postulabant, altero autem petebant, ut Germaniæ Clero Patres disciplinæ leges præscriberent. Verum Legati accepto utroque libello prius explorabant, an Princeps, vel duntaxat privata Orationum sollicitudo ejusmodi postulata didisset, mox tamen comperiebant, quod Cæsar nonnisi alteram petitionem proponi jussisset: quapropter ita responderant: „cum Synodi dignitate, ut Protestantes ad eam denuo invitentur, conciliari haud potest, & quidem ex iisdem omnino rationibus, quæ olim Paulum III. ad denegandum hoc obsequii genus inducebant, idque nunc eo magis, cum Nuntii, per quos Pius IV. Protestantes ad Synodum invitare non sine magnis sumptibus nitebatur, a multis indigne fuissent excepti, atque a cunctis sine contemptu, ac contumelia repulsam tulissent: si itaque Synodus suo nomine rursus Protestantes invitaret, occasionem illis porrigeret potius ad obfirmandam eorum petulantiam, quam ad amplexandam poenitentiam: de cetero, si Cæsar id petit, temporumque conditioni consentaneum existimat, nos omnem operam dabimus, ut Cæsaris desiderio pro viribus satisfiat. Paucis post

Sæc. XVI.
A. C. 1562.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562

Lit. Legat.
ad Borr.
16. Mart.

diebus Legati Commendonum, qui nuper a longo suo per Germaniam, & Belgium itinere reversus erat, ad Imperatorem ablegare decreverant, ut illum de Synodi negotiis certio- rem redderet, ejusque mentem desuper exploraret: priusquam vero hoc consilium in opus deducerent, rem ad Cardinalem Borromæum perscrib- ebant, qui illis respondit, quod hæc legatio Cæsari minus probetur; cum non modo variis suspicionibus, sed etiam multis difficultatibus obnoxia evaderet, consultiusque esset, totius rei curam relinquere Delphino, qui apud Cæsarem tanquam Papæ Nuntius agebat.

§. XXXIV.

Reformationis articuli ad examinan- dum propositi.

Acta Conc.
Trid.
Astulph. ser-
vant M. S.
Franc. Card.
sign. num.
1109. p. 34.

Ad alterum caput, quo Cæsarei Oratores pro Germaniæ Clero disciplinæ leges statui petebant, hæc responderunt Legati: „Cum in Concilio præter ora- tores Cæsareos nullus earum Regio- num Præsul, nullus Orator, aut Pro- curator adsit, haud videtur, quo pacto, „aut agitari res posset cum plena re- rum notitia, aut stabiliri cum certa „Satisfactionis spe illorum, quorum „interest: si vero Germaniæ Prælati „advenerint, successu temporis etiam huic

huic malo remedium opponi poterit; aliunde autem ipsi emendationis articuli, quos Synodus statuere intendit, cunctis Nationibus tanquam Reformationis norma deservire poterunt. Enimvero Seripandus Cardinalis universali emendationi infudandum censebat, ceterique Legati ejus Socii eodem fervebant desiderio: quapropter hujus rei negotium Seripando committebant, eidemque adhuc in laboris socios adjungebant varios Episcopos morum integritate celeberrimos, atque Ecclesiam pristino suo splendori restituendi studio plurimum accensos, iique erant, Mutius Callinus Archiepiscopus Jadrensis e ditione Veneta; Julius Panesius Dominicanus Archiepiscopus Surrentinus in Neapolis Regno, Ludovicus Beccatellus Archiepiscopus Ragusinus, Ægidius Fuscararius Episcopus Mutinensis, & Hieronymus Galeratus Mediolanensis, Episcopus Sutrinus, ex Moroni Cardinalis Sorore genitus: Cardinalis vero Simonetta utpote Canonicæ jurisprudentiæ peritissimus hujus rei argumenta in ordinem redigere jubebatur, eique adjuncti fuere Castanea, Boncompagnus, Paleottus, & Joannes Baptista Castallus Synodi Promotor.

Sæcul XVI.
A.C. 1562.

Sæc. XVI.

A.C. 1562.

§. XXXV.

Bracarrensis Archiepiscopi oratio circa
Reformationem.*Vie de
Barth. des
Martyrs.
l. 2. c. 8.*

Censebat Seripandus ducendum esse Reformationis initium a rebus gravioribus, & ad Aulam Romanam spectantibus, ut fabrica firmo inniteretur fulcro, simulque calumniæ prævertentur maledicorum, qui Clero vitam dissolutam, moresque corruptos sæpius exprobabant. Hæc sententia gravibus etiam rationibus firmabatur ab ipso Bracarrensi Archiepiscopo, qui ea animi firmitate, quam Sanctus Cyprianus virtutem Episcopalem, atque Evangelicam appellat, hunc in modum perorabat.

„Haud opportuniori via, inquiebat ipse, hujus Concilii dignitatem conservare, ac tueri possumus, nisi nobis eadem, ob oculos posuerimus, quæ præprimis, fuere intenta ab iis, qui tam prospere, ac tam sancte hanc Synodum inchoarunt. Porro notum est omnibus, præcipue eorum consilia eo collimasse, ut ab illa horrenda corruptione, quæ tantopere morum puritatem labefactabat, Ecclesia expurgetur, eandem, ob rem, quamprimum Concilio datum, erat initium, mox diuque deliberatum, an priusquam de fide ageretur, quæstio de Ecclesia ac morum Reformatio-

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

„matione haberetur : potissimorum enim
 „sententia eo abibat, quod ab hisce
 „corruptelis atque abufibus hærefes in
 „Synodo debellandæ ortum traxissent:
 „hinc unanimi suffragio tandem con-
 „clusum, quod simul de utroque hoc
 „capite ageretur. Enimvero hæc mo-
 „rum corruptio in fidelibus adeo excre-
 „verat, omniumque oculis pervia, &
 „cunctis haud amplius toleranda vide-
 „batur, ut ipse etiam Joannes III. Lu-
 „sitanix Rex epistolam, quæ in Synodo
 „publice fuerat recitata, ad Paulum III.
 „mitteret, atque in ea significaret, quod
 „veterem Ecclesiæ disciplinam adeo col-
 „lapsam crederet, ut, etsi nulla hære-
 „sis impugnanda fuisset exorta, Oecu-
 „menicum tamen Concilium congre-
 „gare opportuisset, ut in ea abusus &
 „corruptelæ corrigerentur, eoquod mo-
 „rum depravatio hærefis ortum & pro-
 „gressum promovisset, proin e contra-
 „rio si morum puritas integra fuerit re-
 „stituta, etiam hærefis de seipsa peni-
 „tus ruitura foret. Eandem ob ratio-
 „nem Illustrissimus Cardinalis Mantua-
 „nus tanquam Sanctitatis suæ Legatus
 „ad Synodi initium in sua facundissima
 „oratione nobis proposuit, quod non
 „modo hæreticos fidei veritate, sed
 „etiam probæ vitæ exemplo impugnare
 „nobis incumbat, adeo, ut cum ad alio-
 rum

Sæcul. XVI

A C. 1562

„rum Reformationem vocati simus, ni-
 „hil in nobismet ipsis correctione di-
 „gnum reperiatur.,

Hæc Braccarenſis oratio communi quidem Patrum applaufu excipiebatur, non deerant tamen ex illis quamplurimi, qui Reformationem quidem exoptabant, a minoris tamen momenti rebus, iisque minus difficilibus initium eſſe ducendum cenſebant, eo potiffimum nomine, quod Præſulum non pauci adhuc abeſſent, eorumque nullus ex Germania, & Galliis adventaſſet, ac proin circa ea, quæ in ipſorum Clero emendanda forent, ab illis conſilium capi haud poſſet: cum vero quidam propoſuiſſent, utrum in generali Cleri Reformatione etiam Cardinales comprehendendi ſint, ad hæc ſeniores cum ingenti urbanitate, ac reverentia præclaræ iſtorum dignitati debita reſpondebant, quod Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Cardinales ejuſmodi Reformatione haud egeant: verum Braccarenſis Archiepiſcopus voce imperterrita oppoſuit, ſe palam profiteri, quod eadem erga illos veneratione compulſus affirmet, quod *Illuſtriſſimi Cardinales indigeant, ut mihi quidem videtur, illuſtriſſima Reformatione:* „nam mihi videtur, ad-
 „debat ille, quod veneratione, quam il-
 „lis deſero, potius foret humana quam
 divina

„divina, magisque apparens, quam
 „vera, nisi simul etiam exoptarem,
 „quatenus eorum fama, agendique ra-
 „tio sit non minus pura, omnique labe im-
 „munis, quam illorum dignitas cete-
 „ris est eminens; cum enim ipsi sint
 „fontes, ex quibus ceteros aquam hau-
 „rire oportet, necesse est, ut solerter
 „caveant, ne ex ipsis aquæ immundæ,
 „sed potius purissimæ scaturiant: quod
 „autem præprimis corrigi desidero,
 „haud aliud est, nisi ut modum, quo
 „hucusque Episcopos habuerunt, im-
 „mutare dignentur.,

Sæcul. XVI.
 A.C. 1562.

„His postea subjunxit, postquam
 „novus hic Cardinalium Ordo veteri Ec-
 „clesiæ olim incognitus fuit introductus,
 „Episcopalis auctoritas ferme evanescere
 „cæperat, antea Cardinales dignitate
 „sua accensebantur ceteris Presbyteris,
 „& Diaconis, a decimo autem sæculo
 „horum conditionem superare cæpe-
 „rant, non tamen statim sese Episcopis
 „æquiparare audebant, quos adhuc tan-
 „quam suos Superiores usque ad sæcu-
 „lum duodecimum venerabantur: ab eo
 „autem tempore tam eminenti gradu
 „eos antecelēbant, ut illos nunc pedi-
 „bus suis prostratos habeant, illosque
 „veluti suos famulos in Palatiis suis
 „enutrient. Attamen vera Reformatio in
 „Ecclesia haud speranda videtur, nisi
 Episco-

Sæc. XVI
A C. 1562

„Episcopis debita reddatur auctoritas:
„hac autem in re unice respicio ad Dei
„mandatum, de quo Divus Paulus asse-
„rit, quod *Deus posuerit membra, unum-
„quodque eorum in corpore, sicut voluit.*
„Denique considerans, quo gradu olim
„Cardinales atque Episcopi fuerint, ac
„quam prærogativam hodiedum possi-
„deant, coram Deo ingemiscens, & de
„ipsamet Ecclesia conquerens exclamare
„cogor: *olim non erat sic.*

Hæc Archiepiscopi oratio quam plu-
rimis in hoc confessu minus probabatur,
cum autem is ob solidam pietatem tan-
quam vitæ, morumque exemplar ab
omnibus celebraretur, ac aliunde quo-
que notum esset, quod nec ambitione,
nec iracundia, aut proprii iudicii perti-
nacia ad tantam verborum libertatem
incitatus fuisset, sed unice Deo infer-
viendi, Ecclesiæ utilitatem procurandi,
suæ conscientiæ, ac muneris rationibus
fatisfaciendi studium sibi præfigeret,
hinc omnes eidem applaudebant, ac
ferme nullus immoderatam, ac impro-
vidam dicendi licentiam damnabat:
quinimo ipsimet Cardinales, quorum
caussa potissimum agebatur, absque
ullo indignationis, vel iræ sensu ejus-
dem rationes perbenigne excipiebant,
atque ab illo etiam temporis momento
eandem prorsus venerationem, amicitiam

tiam, atque affectum, quo ipsum antea colebant, semper eidem exhibebant: in hoc tamen Archiepiscopi consilium sequi Synodi Patres haud consultum censebant, prævalente illorum sententia, qui de rebus minus arduis inchoandum existimabant.

§. XXXVI.

Duodecim Reformationis articuli a Patribus examinati.

Hæc gesta fuere die undecima Martii in quadam Congregatione, in qua Mantuanus Cardinalis primus Papæ Legatus præprimis elegantem prorsus habebat sermonem, Patres hortatus, ut juncta cum ipso, suisque fociis opera restituendæ disciplinæ Ecclesiasticæ insudarent. Absoluta hac oratione duodecim prælegebantur articuli, qui Patrum examini subjecti in sequentibus Congregationibus accurate discutiebantur: erantque hi articuli sequentes. I. Perpendant Patres, quæ ratio esset habenda, ut cuncti Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & illi, qui in suis beneficiis curam animarum exercent, suis in Ecclesiis resideant, nec inde discedant, nisi ex causis honestis, necessariis, & Ecclesiæ Catholicæ conducantibus. II. Discutiant, an opportunum videatur, ne cui sacri Ordines con-

Sæcul. XVI.
A C. 1562.

*P. llav. l. 16.
I. n. 13.
Sarpus l. 6.
466. Rayn.
ad hunc
ann. n. 32.*

Sæcul. XVI
A.C. 1562.

ferantur, nisi titulo beneficii sit provifus; cum compertum constet, multas fallacias committi in fufcipiendis Ordinibus titulo patrimonii. III. Pariter ventilent, an expediat, ut nec Epifcopi Ordinem conferentes, nec ipforum Ministri, ac Scribæ quidquam accipiant ob Ordinis colationem. IV. Decidant, num concedendum fit Epifcopis, ut ex Præbendis ad Ecclesiæ fervitium non adstringentibus, possint statuere distributiones quotidianas in illis Ecclesiis, in quibus aut nullo modo erant, aut ita tenues, ut negligerentur, ex qua radice pariter divini obsequii neglectus pullulabat. V. Ponderent, utrum illæ Paræciæ, quæ ob suam amplitudinem indigent pluribus Sacerdotibus, dividendæ quoque sint ab Ordinario in plures titulos, & Sacerdotes, qui illis deferviunt, & an Epifcopi horum Sacerdotum munia in titulos commutare debeant. VI. Trutinent, an e converso beneficia curata, quæ idoneos ad Parochi victum reditus non fufficitant, multa in unum debeant coalescere ad ampliorum Parochi sustentationem. VII. Quia multi Parochi ob scientiæ penuriam, pravamque vivendi rationem, parum erant idonei, & destruebant potius, quam ædificabant, pejoresque erant eorum Vicarii, nec scientia, nec prudentia præditi, hinc expen-

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

expendant, utrum oporteat, ut Episcopus adjutores illis destinet, certo fructuum proventu iis attributo. VIII. Examinent, an concedenda sit Episcopis facultas transferendi in Ecclesias Matrices, Beneficia, & Sacella a longo tempore diruta, quæ ob inopiam reparari nequeunt. IX. Ad trutinam vocent, num præcipiatur, ut beneficia commendata etiam Regularia invisantur, & corrigantur ab Episcopis. X. Attento animo agitent, an decidendum, ut Matrimonia Clandestina in posterum irrita, ac nulla declarentur. XI. Perpendant, quæ conditiones declarandæ forent, tanquam necessariæ, ne Matrimonia censeantur clandestina, sed in facie Ecclesiæ contracta. XII. Plurimum cogitent, quid expediat constituere de non modicis quæstorum abusibus. Ceterum inter articulos recitados duo illi de Matrimonio clandestino studiose proponebantur, non solum ob utilitatem ipsius rei, sed quia inde argumentum subministrabatur inferiorum Theologorum studio, quorum ibi non exigua erat frequentia, qui omnes, si Jurisconsultus laboribus honoratos, se vero otiosos spectassent, forte tædio affecti a Synodo discessissent. Cunctos hosce articulos Legati, priusquam illos in Congregatione proponebant, Cæsareis Orationibus

Hist. Eccles. Tom. XLIV. Dd toribus

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

toribus exhibebant, a quibus etiam rati habebantur. Postea Simonetta Cardinalis veritus, ne primus de residentia articulus magnam inter Patres contentionem fuscitaret, suos socios admonuit, ut de eo mentionem fieri præpedirent, hocque argumentum ad tempus magis opportunum differrent. Hi lubenter annuebant, ea tamen lege, ut Oratores hac de re certiores fierent, quod & die undecima Martii præstiterunt: verum Oratores vehementer obluçtantes inquiebant, quod ablato hoc de residentia articulo, nil nisi levia, ac nullius ferme momenti capita superessent, aliunde vero ipsi jamjam ad Cæsarem transmisissent scriptos hosce articulos nuper ipsis traditos, ut proin articulum, circa quem Cæsar exactam emendationem deposceret, suppressere, haud consultum foret.

Cum ergo Legati Oratoribus sese ultra opponere minime auderent, hoc scriptum unacum præfatis duodecim articulis Synodi Patribus communicabant, eos vero Cardinalis Mantuanus gravibus verbis hortabatur, ut tam pio operi sedulo incumberent, ac labefactatam morum disciplinam restaurare, ac damna inde Ecclesiæ inflicta reparare studerent; interea rumor serpebat, quod Protestantes sancito inter se foedere copias

pias ubique contraherent: quo nuntio ter-
 ritus Cæsar Synodum interrumpi petebat,
 quocirca reliquum hujus Mensis spa-
 tium infumebatur in solemniis, quæ in
 recipiendis quibusdam oratoribus, qui
 adventarunt, usurpabantur, donec de
 Protestantium machinationibus certior
 haberetur notitia.

§. XXXVII.

*Plures Oratores ad Synodum delati,
 ac recepti.*

Cum hæc interea gererentur, præpri-
 mis Ferdinandus Franciscus Ava-
 lus Piscariæ Marchio, ac Mediolani
 Gubernator a Philippo II. Hispaniæ
 Rege Tridentum ablegatus advenit,
 cui centum ferme Episcopi unacum om-
 nibus Principum Oratoribus obviam
 ibant, exceptis Ferdinandi Legatis,
 quos, cum omnes essent Viri Ecclesia-
 stici, præmittere, minus consultum
 censebant Legati, veriti, ne Lusitaniæ
 Regis Orator nova rursus contentione
 cum Dracovio circa Sedis prærogati-
 vam collideretur: quocirca solus Si-
 gismundus Thuun ibidem comparuit:
 mox tamen die decima quarta Martii
 Piscariæ Marchio urbem ingressus me-
 dius inter Sigismundum, & Mascare-
 num confedit, quem Mantuanus Car-
 dinalis per octo dies, quibus illic mo-
 rabatur,

Sæcul XVI.
 A.C. 1562.

*Pallav. c. 2.
 num. 1.
 Raynald.
 n. 32. & 35.
 Thuon. l. 32.
 init.*

D d 2

rabatur,

Sæcul. XVI. rabatur, hospitio exceptit: altera au-
A.C. 1562. tem die decima quinta ejusdem Mensis
 Joannes Strozzius Cosmæ Florentiæ
 Ducis Orator advenit, quem etiam plus-
 quam sexaginta Patres extra urbem ex-
 cipiebant, ac medium inter Jerosolymita-
 num Patriarcham, & Mendozam Sal-
 manticensis Episcopum deducebant:
 denique die decima sexta pariter duo
 Oratores a Catholicis Helvetiorum Pa-
 gis missi recipiebantur, quorum primus
 erat Melchior Luffus, qui tanquam Ora-
 tor destinabatur a Claronensi Pago Ca-
 tholicis, & hæreticis mixto: alter vero
 fuerat Joachimus e Sancti Benedicti fa-
 milia Abbas: porro hos sequebatur ad-
 huc alius Abbas Sedunensis Episcopi,
 & quarundam Regularium Canoniarum
 Procurator. His plusquam sexaginta
 Episcopi obviam procedebant, illisque
 Papæ expensis hospitium parabatur, cum
 Sedes Apostolica hanc liberalitatem
 hujus nationis Oratoribus impendere
 semper solita fuerit.

Pallav. n. 5.
Sarpus
p. 467.

suit: quandoquidem Concilium unicum sit
 sanandis Ecclesiæ malis remedium, id sa-
 lutariter, & opportune a Pio IV. his tem-
 poribus

poribus adhibitum est, nec Philippo Regi
 deest voluntas præsentia sua cætum eum co-
 honestandi, & exemplo aliis præeundi, si
 per occasiones liceret: nunc cum non possit,
 ipsius loco Franciscum Avalos Marchionem
 eo decrevit, qui a Rege opem omnem, ac
 favorem deferret: non enim nescio Ecclesiæ,
 etiã cum maxima Dei præsidio nititur, ne-
 cessarium esse interdum subsidium humanum.
 His ita prolatis Avalius Orator Lega-
 tis aliquamdiu collocutus Tridento di-
 scessit, cum ad Mediolanensis ditionis
 administrationem sua præsentia neces-
 saria foret: porro biduo, postquam Hi-
 spaniæ Orator fuerat exceptus, die
 decima octava Martii Florentiæ Ducis
 Legatus admittebatur, qui in sua ora-
 tione multis suum Principem deprædi-
 cabat, eo quod sit Christianæ Religionis om-
 nium maxime studiosus, & Romani Pon-
 tificis, atque Apostolicæ Sedis auctoritati
 plurimum semper tribuerit. His præmissis
 idem Orator amplissimis verbis pia com-
 mendabat studia summi Pontificis Pii IV.
 „qui, inquiebat ipse, ut nefariam hæ-
 „resis pestem, ac perniciem a nobis a-
 „verteret, concilium hoc celebrare la-
 „boravit: ubi vos, & vitæ innocentia,
 „& eruditionis magnitudine viri admo-
 „dum insignes de vera, sinceraque
 „Christi doctrina commonefaciatis, at-
 „que illa etiam Evangelii dogmata pla-
 „nissime

Sæcul. XVI
A. C. 1562

„nissime explicetis., Dein orator sui
„Principis familiare consortium cum Pa-
pa commemorans, hortabatur Patres
ad Ecclesiam perpurgandam, & ad
lucem veritatis ab Apostolis patefactam
usquequaque diffundendam; oblati
Synodo omnibus a Duce suo præfidiis,
quæ hic ipse jam ante Pontifici ad
tuendam Sedis Romanæ Majestatem
detulerat. Ad hæc oratoris verba Pro-
„motor respondens, inquebat: Synodo
„tuus adventus plane gratissimus acci-
„dit, vesterque Dux inter cetera com-
„mendandus venit, eoquod ex illust-
„rissima ortus sit familia, quæ Clemen-
„tem VII. & Leonem X. summos Pon-
„tifices Ecclesiæ dedit, nunc autem &
„Pium IV. qui noctes, & dies unice co-
„gitat, quomodo tranquillitatem, pa-
„cemque Ecclesiæ universæ, salutem
„omnium Christianorum, impietatis ever-
„sionem, pietatis incrementum pro-
„curare possit., Ceterum die vigesima
ejusdem Mensis Martii Helvetiorum
Orator, necnon Joachimus Abbas in
Synodo recipiebantur, pro quibus Ada-
mantius Ordinis Eremitarum Sancti Au-
gustini alumnus verba faciens hæc ex-
posuit: *Consules Septem pagorum pro eo;*
ac decet Ecclesiæ filios, miserunt oratores,
qui Synodo adessent, ac obedientiam sponde-
rent, notumque facerent omnibus, se studio
propa-

Labbe pag.

193.

Pa. l. lib. 16

c. 2. 6. 5.

propagandæ Sedis Romanæ nulli cedere nationi, nam id ipsum fecerunt testatum Julii II. & Leonis X. temporibus, præcipue vero tunc, quando cum pagis vicinis pro Religione decertarunt, cæso Zwinglio nefandissimo Ecclesiæ hoste. Ad hæc respondit Promotor: *Helveticæ gentis erga Sedem Apostolicam pietatis officia, & promerita multa sunt, eaque maxima, sed nullum obsequium, aut officium præstari potuisset opportunius, quam sit hæc legatio, tam prolixam benevolentiam deferens Synodo, quæ adventu vestro multum recreatur, & præter spem, quam in Cæsaris, Regum, ac Christianorum Principum præsidio collocat, etiam laudatissimæ huic nationi plurimum confidit.*

Sæcul. XVI.

A.C. 1562.

§. XXXVIII.

*Contentio de sedis prærogativa inter
Helvetiorum Oratorem, &
Florentiæ Legatum.*

Accepto hoc responso Helvetiorum Orator proximus Legato Veneto, prout a suis Dominis erat jussus, in Synodo confedere voluit: cum vero Ducis Orator obsisteret, palam testabatur, se protinus discessurum, nisi ei sedes suo ordini congrua assignaretur; porro hanc litem ita, ut utrique parti satisfieret, componere haud exigui mo-

Pallav. n. 5.

lit. Legat.

ad Borrom.

1562. resp.

Legat. ad

Borrom.

30. Martii

1562.

D d 4

liminis

Sæcul. XVI. A. C. 1562. liminis res erat, quapropter Legati datis ad Papam literis de hoc diffidio eundem certiozem reddebant, supplices, ut Florentiæ Ducem eo induceret, quatenus pro Religionis bono Helvetiorum Oratori cederet, cum id plus ipsi gloriæ conciliaret, ac quævis prærogativa, quam ejus Legatus ex hac contentione reportare speraret: itaque summus Pontifex missis ad Ducem literis, eidem, cum fidei utilitas urgeret, cedendi necessitatem tam gravibus verbis exponebat, ut Dux suo mandaret Oratori, ne solemnibus functionibus interesset unacum Helvetiorum Oratore, sed cum tempus ad eas celebrandas adventaret, occasione perhoneste quæsitâ Tridento discederet, & propinguis in locis moraretur extra urbem.

§. XXXIX.

Dudithi, seu Dudizii Titiniensis Episcopi Historia.

Thuan. hist. lib. 32. 56. & seq. Peractis paschalibus festis die sexta Aprilis alia habebatur congregatio, in qua duo Cleri Hungarici Oratores excipiebantur, iique erant Joannes Colosvarinus Dominicanus, & Andreas Dudithius, vulgo Sbardellatus dictus, eoquod ejus Mater, quæ Nobilis erat Veneta, hoc nomen gereret. Erat is Titinni in quadam Croatiae Urbe Episcopus,

scopus, Vir non modo generis nobilitate, sed etiam ingenii acie, iudicii soliditate, atque eruditionis eminentia clarissimus, qui raram latini sermonis elegantiam calamo, ac lingua ubique prodebat, atque in rebus etiam difficilissimis feliciter expediendis ingenti prudentia, ac dexteritate pollebat, suaque lenitate, morumque probitate omnium, quibus notus erat, amicitiam, ac venerationem sibi conciliabat: porro hic idem primam lucem aspexit Budæ, seu potius in arce huic urbi proxima Mense Februario, Anno post Christum natum millesimo quingentesimo trigesimo tertio, vel juxta alios trigesimo septimo, patremque habebat Hieronymum Duditium Nobilem, ac Ladislai Hungariæ Regis Consiliarium: vix vero infantiam egressus mox ob ingenii aciem, ac fecundam imaginandi facultatem, necnon memoriæ felicitatem, cunctasque necessarias animi dotes in spem celeberrimi Viri adoleverat, atque a patre suo utpote catholico in Ecclesiæ Romanæ unitate educabatur, quo tamen prima juventute sua orbatus ab Avunculo suo, qui primo Episcopus Vacziensis, & dein Strigoniensis Archipræful erat, liberaliter instituebatur.

Postea ab eodem Archiepiscopo ad Vratislaviensem Universitatem mittebatur,

D d 5

tur,

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Omery observat. select. tom. 5.

*Sandius
Bibl. Antitrit. p. 68.
& seq.*

Sæcul. XVI. tur, ut ibidem humanioribus literis
A.C. 1562. imbutus Pauli Manutii, Francisci Roborteli, Sigonii, Panvini, & Victorii magisterio uteretur, ubi præcipue sub Manutio tantum in literis progressum fecerat, ut hic summæ gloriæ sibi duceret, quod in literis suis ad Amicos datis honorificam de Andrea Dudithio mentionem facere, illumque tanquam clarissimum sui ævi lumen deprædicare posset. Andreas inter omnes Auctores sibi maxime familiarem reddebat Ciceronem, cujus omnia opera trina etiam vice proprio suo chirographo transcripserat. Fertur quoque, quod eo tempore, quo Patavii studiis vacabat, Stephanus Batorius, postea Poloniæ Rex, pariter ibidem literis operam dederit, atque inter eos odium, seu potius secreta quædam æmulatio invaluerit, quæ postea crescentibus annis semper fuerit aucta: dein Andreas Lutetiam Parisiorum delatus ibidem Philosophiæ Magistrum habebat celebrem Vicomercatum, sub Angelo autem Caninio Doctore idioma Græcum, & sub Mercerio Hæbraicum, linguasque Orientales didicerat: omnibus igitur hisce scientiis imbutus rediit, a suo Avunculo Patavium revocatus, ut ibidem denuo Philosophicis disciplinis sub Magistro Guidone Panciolla operam navaret

varet: percurso autem studiorum curriculo unacum Cardinale Polo Legato a Latere in Angliam venit, ubi hujus Cardinalis vitam a Ludovico Beccatello eleganter italice scriptam puriori latinitate donabat, atque ad Elisabetham Principem, quæ tunc nondum erat Regina, vocatus, illius benevolentiam dextere sibi conciliabat. Postea aliquamdiu in hoc regno commoratus in patriam reversus est, ac vix eo delatus Strigoniensi Canonatu, & Oberbadensi Præpositura honorabatur, verum haud diu ibidem substitit; cum enim in Italia pluribus Viris doctissimis arcta amicitia junctus esset, tertio itinere ad hanc regionem revertebatur, ibidemque crisin in Herodotis, & Thucydidis historiam publici juris fecit, quod opus a Viris rerum peritis plurimum habetur: ibi Andreas non modo Italos, sed & Gallos venerabatur, suumque in illos affectum testaturus in Franciam venit, Florentiæ Ducis commendatitiis literis ad Catharinam Medicæam instructus, quam etiam Italo sermone tanta civilitate salutabat, ut Regina Viri facundiam admirata vix capere posset, quod exterus, & quidem Hungarus cum tanta facilitate tam præclaram Italam orationem proferre valeret.

Postea

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

Sæcul. XVI.

A C 1562.

Postea in Germaniam profectus ab universa Viennensi Aula in summo honore habebatur, atque in eum Ferdinandus Imperator tanto ferebatur affectu, ut illum anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo Tinini, seu Knini cujusdam in Croatia urbis Episcopum, & secretioris Concilii Ministrum crearet, simulque Legatum ad Sigismundum Augustum Poloniae Regem decerneret: cum autem in hujus Monarchæ aula vitæ licentia impune grassaretur, ac Religio Catholica vix cognita esset, hinc tam ob crebrum cum Aulicis commercium, quam frequens, quod cum hæreticis fovere cogebatur, confortium a vitæ suæ integritate deficere cæpit, præcipue vero cæco corruptus affectu, quo Sophiam Genisellam ex Strazziorum, seu Strassonum genere ortam, puellam inter honorarias aulae Virgines omnibus numeris absolutissimam deperibat, eamque ad illicitam societatem pertrahere nitebatur, quæ tamen illo sanior omnes ejus illecebras elusit, ac duntaxat ei nuptias obtulit, ea tamen lege, ut tam suis beneficiis, quam Religioni orthodoxæ nuntium mitteret.

S. XL.

Sæcul. XVI.

A. C. 1562.

*Dudithius Hungarici Cleri nomine
ad Tridentinam Synodum ab-
legatus.*

Verum Dudithius aliis rationibus & *Pallav. c. 2.*
tanto scelere absterritus ad suum *n. 6.*
Episcopatum rediit, ab Hungariæ Cle- *Sarpins l. 6.*
ro nominatus, ut ejus nomine Triden- *p. 486.*
tinæ Synodo interesset: hoc itaque mu-
nere auctus sperabat, fore, ut suæ elo-
quentiæ vi, ac rationum pondere Sy-
nodi Patres ad connubii usum Sacer-
dotibus permittendum inducere valeret:
quapropter ad Concilium admissus hac
de re agere cæperat, necnon oratione
habita cum tanta eloquentia, ut omnium
Patrum admirationem in se raperet,
hæc effatus est: „ Archiepiscopus Stri-
„goniensis, Episcopi, & universus Regni
„Hungariæ Clerus triplici nomine sum-
„ma perfusi sunt lætitia, nimirum ob
„Pium IV. ad summum Ecclesiæ fasti-
„gium adscitum; II. propter Concilium
Tridenti convocatum, III denique ob e-
jusmodi legatos Apostolicos ad id a Pa-
pa selectos. Dein Hungariæ Præsu-
lum erga Ecclesiam Catholicam obser-
vantia laudata, Cardinalem Warmien-
sem, qui cum illis versatus fuerat, &
eosdem noverat, illius obsequii testem
addu-

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

adducebat, atque nationis universæ pietatem commendabat, cum hæc armis Turcarum fortiter se objectans de reliquo orbe Christiano optime mereretur: insuper singularem Episcoporum in resistendo hæreticorum machinationibus industriam depraedicabat, & communi Antistites omnes voto, ut Concilio Tridentino ipsi interesse possent, expetivisse narrabat, quamvis graves, quo minus venirent, obstarent Regni necessitates, quæ præsentiam eorum requirunt, ut propugnacula, quæ sunt in confinibus, ab incursionibus Turcarum tuerentur, atque excubarent adversus hæreticos: tandem sermonem suum conclusit, ita inquit: Hi iidem Hungariæ Præsules officium suum per me, meumque socium Canadiensem Episcopum palam facere volunt, nosque ablegarunt, ut per nos ad Synodi patrocinium tanquam tutum perfugium se reciperent, atque ad ejus decreta accipienda, observandaque summam animi promptitudinem offerrent.

Hæc oratio ab omnibus Synodi Patribus cum tanto applausu excipiebatur, ut Legati ad Borromæum Cardinalem perscriberent, quod nullum unquam ampliori facundiæ ubertate differentem percepissent, & quamvis Orator omne tempus aliis Synodi negotiis destinatum

natum huic conventui ademisset, id ta-
 men Patres neququam animadvertis-
 sent. Porro ad Oratoris sermonem Pro-
 motor hæc respondit: „fatis comperta
 est Patribus Ecclesiæ Hungaricæ ob
 „Synodum Generalem Tridenti convo-
 „catam gratulatio: id vero superest, ut
 „affiduis Deum precibus de felici ejus-
 „dem eventu interpellent: equidem Pa-
 „tres optassent, ut Præfulum ejus na-
 „tionis adspectu coram frui possent, sed
 „quando nimis justas ipsis esse absentia
 „causas etiam Cardinalis Warmiensis
 „testimonio constet, excusationem ad-
 „mittunt, sperantes, Religionem Chri-
 „stianam nihilo minorem ex illorum in
 „propriis Ecclesiis præsentia fructum
 „percepturam, eoque magis, quod vobis
 „Oratoribus, qui estis Patres optimi, ac
 „Religiosissimi, negotia, actionesque
 „suas commendarint: Synodus igitur
 „vos & mandata a vobis exhibita liben-
 „ter amplectitur. „

§. XLI.

Synodi obstacula a Cæsare sublata.

Cum interea Dracovitijs Hungariæ O-
 rator fidem fecisset, Imperii comi-
 tia Francofordiæ nonnisi circa Men-
 sem Augustum esse celebranda, jamjam
 Legati in eo erant, ut ad Delphinum
 Papæ Nuntium ablegarent quemdam
 depu-

Sæcul. XVI.
 A.C. 1562.

Sæc XVI.
A C 1562.

deputatum, qui Cæsarem exoraret, ne Synodi progressus sisteret: verum ea sollicitudo erat supervacanea; jam enim Nuntius acceptis Legatorum, ac Papæ literis Imperatori exposuerat, quod tot Episcopos Tridenti sine caussa detineri, oppido molestum esset, indeque eorum Ecclesiis non leve inferretur damnum. His rationibus Ferdinandus mox acquiescens respondit, quod quidem decisiones differri postulasset, cum id æquum, honestumque censuisset, cum autem Patres æquioribus, quam suæ forent, rationibus inniterentur, in hoc quoque suæ conscientiae præcepta libere exequi valerent.

Faustum hoc nuntium ad Legatos, ceterosque Synodi Patres eo ipso deferbatur tempore, cum scriptas a Carolo IX. Rege literas non sine minori animi lætitia acciperent: porro ipsum hujus epistolæ authographum Rex ad Insulanum Oratorem suum Romam dirigebat, atque significabat, quod cunctis dissidiis, quæ circa Synodi continuationem Tridenti fuerant exorta, parum anxius reddatur, sibi que perinde sit, an Concilium continuatum, vel recens convocatum dicatur, cum omnium dissensionum, quæ circa Religionem in suo Regno fuerant suscitatae, decisionem ad Synodum remittere statuerit, dummodo

do ea, quæ expectat, quibusve Francia indiget, emolumenta inde sperare valeat. Hæc postrema Regis verba Legatis metum incutiebant, ne forte Rex adjecta hac conditione indicare voluerit, articulos jam decisos novo examini esse subjiciendos, eo quod Franciæ tumultus æque contra articulos jam Sessionibus prioribus decisos, quam adhuc decidendos ab hæreticis fuissent suscitati, rei tamen eventus timorem dissipabat.

§. XLII.

Papæ epistolæ ad Legatum suum in Francia.

Summus Pontifex depulso metu Cardinali Borromæo negotium dabat, ut ad suum in Francia Legatum ita perscriberet: „comprobata tua prudentia, agendique ratione ratam insuper „habeo tuam absentiam a Senatu Regis, cui tamen a consilio es: cum ergo „id jam antea pro conservando Religionis Catholicæ bono te fecisse nuntiatum sit, sic iterato tibi præcipio, ne „unquam ejusmodi conventibus intersis, „ne tuum conversandi modum calumniantium opprobriis exponas: „cum

*Pall. c. 2.
n. 3. & 4.*

autem Ferrariensis Cardinalis hoc Papæ monitum objurgationis loco haberet, eo quod ipse Possiacensi colloquio

Hist. Eccles. Tom. XLIV. Ee præ-

Sæcul. XVI.
A.C. 1562. præfens adfuisset, hinc summo Pontifici
his respondit: „ Sanctitatis vestræ iussa
„ exequi, semper mihi cordi fuit: de ce-
„ tero autem, ubi gravissima incidit ne-
„ cessitas, mihi persuasum habeo, quod
„ prudens fuerit consilium obtrectantis
„ populi calumnias, earumque discrimen
„ subeundi, ut mala, quæ secus immine-
„ rent, evitentur: simili quoque necessi-
„ tate adactus Possiacensi colloquio inter-
„ fui, facile autem a Doctoribus Catholi-
„ cis explorari potest, quantum roboris,
„ ac constantiæ ex mea præsentia iidem-
„ met Doctores hauserint, ut sese hære-
„ ticus opponere, veritatemque tueri au-
„ derent. „

§. XLIII.

*Navarræ Rex spe lucri Catholicis
favens.*

Pall. n. 5.
Et 6.

Interim Antonius Borbonius Navarræ
Rex Catholicis semper sese propen-
sum præseferbat, spe concepta, quod
hac ratione ad Pontificis preces ab Hi-
spaniæ Rege non modo Navarrici Re-
gni injuste abrepti compensationem, sed
etiam Avenionensem Legationem fratri
suo Borbonio Cardinali, qui eam enixe
petebat, impetrare possit: quapropter
hac potissimum ratione impulsus tan-
quam Regni Vicarius promulgato edi-
cto præceperat, ut omnes Parisienses,
qui

Sæc. XVI
A.C. 1562.

qui novæ sectæ nomen dedissent, arma ponerent, si vero id recusarent, ex urbe excederent. Hoc edictum Hæreticis summopere displicuit, eorumque plures abiire, quos inter præcipuus erat Condæus Princeps Navarræ Regis Frater, qui cum quingentis suæ factionis hominibus inde discessit.

Pariter Joanna Albreta Navarræ Regis conjux secesserat, cujus tamen Filium natu majorem illius Maritus in fidei Orthodoxæ præceptis imbui sedulo curabat: verum frustranea erat illius sollicitudo; quippe inter cetera, quibus Navarræ Regem ad sua studia pertrahere tentabant Catholici, media erat quoque facta spes cujusdam diplomatis Roma obtinendi, vi cujus repudiata Joanna Albreta hæretica sibi desponsare posset Mariam Stuartam Francisci II. viduam, quibus nuptiis non modo Scotiæ, sed & Angliæ Regnum, cujus proxima hæres esset, acquirere valeret (*):
insu-

(*) Navarræ Regem obtinendæ dispensationis spe fuisse plectum, aut de conciliando hoc connubio, illiusque uxoris repudio unquam actum fuisse, altum est apud Scriptores silentium: perperam igitur hæc conficta sunt a Continuatore, qui minus fideliter allegat Pallavicinum, cum tamen ille non de Navarræ

Sæcul. XVI.
A. C. 1562. insuper eidem promittebatur, quod Hispaniæ Rex ei Sardiniae Insulas celsurus esset: ast Navarrae Rex de Joanna Albreta repudianda nunquam sibi mentionem fieri patiebatur: aliunde vero ceterae spes, quibus lactabatur, solidis erant destitutæ rationibus.

§. XLIV.

Sabrinense colloquium inter Guisium Ducem, Cardinalem Lotharingium, & Wirtembergæ Ducem.

Thuan. l. 29.
Mezeray
chron. abregé
t. 6. p. 67.
Belc. comm.
l. 29. n. 79. Cum Condæus Princeps, & Colinius maris Præfectus potissimum fœdus adversus se conflari perciperent, a Germaniæ hæreticis opem, præsidiumque petebant: re autem comperta Guisius Dux, ejusque frater Cardinalis Lotharingus

ræ Regis, sed de illis consobrinæ connubio mentionem facit. n. 7. his verbis: *Nova præterea parabatur affinitas, profutura conciliandæ Antonii, multorumque Gallicæ Procerum gratiæ, ad prosperum Concilii progressum: ea erat conjugium, quod agitabatur, ac postea confectum est, inter ejusdem Antonii Sobrinam, viduam relictam Ducis Novioduni, amplæ dittonis hæredem, & Ludovicum Ducis Mantuani fratrem, & nepotem ex fratre Cardinalis, in quem tanquam primum inter Synodi Præsides filium moliminis præcipua gloria recidebat.*

ringius hæc Germanorum auxilia impedire nitebantur, hacque de re Sæcul. XVI.
 A. C. 1562.
 brinam, urbem in Argentinensis Episcopi Diœcesi sitam veniebant, quem etiam locum accesserat Wirtembergensis Dux, eo usus obtentu, quod in Montis Pelicardi oppido suorum parentum quempiam visum ivisset. Protrahebatur ibi horum consultatio ad tertium quoque diem, ubi nil intentatum relinquebatur, ut Lutheranis magni Calvinistarum progressus in Francia suspecti redderentur, eisque persuasum fieret, quod Calvini secta ideo impugnaretur, ut postea Lutherani, cum nondum tantopere a Catholicis sejuncti essent, vi lenitatis Sedi Apostolicæ rursus conciliarentur: quapropter Lotharingii Principes rogaverunt Wirtembergensem Ducem, ut hac in re suam impenderet operam, ac Germaniæ Principes eo induceret, quatenus ipsorum consilia æqui, bonique consulant.

§. XLV.

Lotharingii Cardinalis oratio pro Confessione Augustana.

Adducebat secum Wirtembergæ Dux Joannem Brentium, & Jacobum Andream in Germania accerrimos Augustanæ Confessionis defensores, quos tamen Lotharingius Cardinalis facili negotio

Sæcul. XVI. A. C. 1562. *Thuan. l. c.* gotio sibi conciliabat: se enim Theologiae scholasticæ unice eo fine operam dedisse simulabat, ut illam eo solidius damnare posset (*) demum illos ita alloquebatur: „semper in Possiacensi colloquio Calvinistis confessionem Augustanam ob oculos posueram, illosque inducere conabar, ut illam reciperent: verum in ea acceptanda majorem, quam in agnoscenda summi Pontificis auctoritate, repugnantiam exerebant (**). Equidem conjici haud licet, unde odium adeo iniquum, ac pertinax ortum suum trahat, nisi suspitioni locus detur, quod Calvinistæ non tam doctrinæ emendationem, ac primævæ disciplinæ restaurationem urgeant, quam sparso per Helvetiam perversarum

(*) Nequiter a Continuatore hæc referri observandum est, cum Thuanus, quem allegat, nec hanc simulationem a Lotharingio Cardinale fuisse factam, nec illum de Theologia Scholastica mentionem fecisse referat.

(**) Hæc rursus Continuator de suo adjecit, ut commentum suum, comprobatum redderet, quo in priori §. Lotharingios eo intentos fuisse fingebat, ut Lutherani ad finem Ecclesiæ facile reversuri crederentur a Calvinistis. Legatur ipse Thuanus, & patebit Continuatoris mala fides,

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

rum opinionum veneno Germaniam
 „novis tumultibus involvere quærant,
 „nam id jam Daniæ Rex provide præ-
 „senferat: eapropter per Legatum suum
 „nuper Navarræ Regi significabat, se
 „quidem summopere, quod emendandæ
 „Religionis negotio in Galliis incumbere-
 „ret, lætari, sed plurimum etiam vere-
 „ri, ne Galli hæretici ad Zwinglianam,
 „& Genevensem sectam sua studia con-
 „verterent, cum idem quoque vel ma-
 „xime metuendum sit Germaniæ Prin-
 „cipibus, si enim Francia Calvinista-
 „rum hæresi penitus corrupta evaderet,
 „tunc enim certo eventurum, ut eorum
 „secta prævaleret, ac proin Genevensis
 „confessio Augustanæ superior fieret:.,
 Ex his inferebat Cardinalis, quod Rex
 Christianissimus, si Principes Protestan-
 tes ad Zwinglii sectam in Galliis suppri-
 mendam sua auxilia conferre vellent,
 absque omni difficultate concessurus es-
 set, ut Regni sui Ecclesiæ juncta cum
 Lutheranis opera emendarentur. (*).

§. XLVI.

(*) Hæc Continuator ex odio Principum
 Guisiorum, qui tamen ferme soli Religionem
 Catholicam in Galliis pene extinctam conser-
 vare nitebantur, falso exposuit, sed improvido
 profus consilio, non animadvertens, quod
 hac narratione Regi Christianissimo, totique

Ee 4 nationi

Sæcul, XVI.
A.C. 1562.

§. XLVI.

Wirtembergici Ducis promissa utrique
Principi facta.

Tuan. l. c.

Hoc sermone ambo Lutheranorum Mini-
stri expugnabantur, cumque sua
ingenii perspicacia haud obscure cogno-
scerent, quod Cardinalis unice exoptet,
ut nec Wirtembergicus Dux, nec ceteri
Principes Protestantes bello contra Cal-
vinistas in Galliis adornando sese impli-
carent, hinc tam validis rationum mo-
mentis Ducem adoriebantur, ut Guisio
Duci, ejusque Fratri Cardinali fidem
daret, quod cuncta ab eis proposita rata
habeat, atque apud suæ factionis homi-
nes id effecturus sit, ut Genevensem
Confessionem, quæ procul dubio ma-
gnos tumultus excitatura esset, in Gal-
liis recipi præpedirent, ea tamen lege,
ut emendandæ Religionis negotium si-
mul promoveretur, nec interea mulctis,
aut proscriptionibus, & suppliciis in eos,
qui a Pontificis obsequio defecissent,
ageretur. Hoc colloquio ambo Lotha-
ringii Principes admodum contenti Jon-
villam

nationi Gallicæ maximam labem inusserit, ac
sibimetipsi repugnaverit, cum variis in locis
immotum Franciæ obsequium erga Romanam
Ecclesiam, ac fidei Orthodoxæ conservandæ
studium plenis buccis deprædicaret.

villam, ubi aliquamdiu subsistere de-
 creverant, revertentur: cum autem
 Guisus Dux literis à Navarræ Rege ac-
 ceptis rogaretur, ut in aulam quam-
 primum rediret, eo quod ejus præsentia
 oppido necessaria esset, hinc quantocius
 sese itineri accinxit.

§. XLVII.

*Vassiacensium, & Guisianorum
 dissidia.*

Interea casu res accidit, quæ rebus ad
 apertam rebellionem inclinantibus
 ingens momentum attulit, belloque ci-
 vili initium dedit: erat enim in Campa-
 niæ finibus in Catalaunensi Diœcesi exi-
 guum oppidum nomine Vassiacum al-
 tis mœnibus munitum, ac Calvomontii
 in Bassigniacensi agro Præfectura, &
 præsidiali Curia ornatum: porro hujus
 oppidi incolæ querebantur, quod ple-
 rique pagi, ut Jonvillæ Principatus am-
 plificaretur, avulsi fuissent. Ceterum
 in hac urbe jam tum publice a Prote-
 stantibus habebantur conciones, ipso-
 rumque ritu in quodam loco prope Ec-
 clesiam Coena administrabatur, ad quam
 quandoque plusquam mille ducenti hæ-
 retici confluebant: cum vero proprium
 Ministrum nondum haberent, quemdam
 Trecis, ubi Episcopus Calvinistis aperte
 sævebat, accerserant: tunc autem Leo-

Sæc. XVI.
 A. C. 1562.

Thuan. l. 6.
 Aubigné l. 3.
 cap. 1.
 Belcar. l. 6.

Sæcul. XVI.
A. C. 1562

nardus Morellus Geneva missus advenerat: attamen loci Præfectus, Parochus, ac Prior, cum nuperum edictum adeo manifeste violari ægerrime ferrent, de hac temeritate coram Catalaunensi Episcopo querebantur, qui etiam mox eo profectus est, adducto secum magni nominis Theologo, qui hunc Ministellum de suo errore convinceret.

Ergo movetur controversia de vocatione, manuumque impositione: at hujus hæretici pertinacia frangi haud poterat, cum igitur Catholici cives hujus Ministri petulantiam per Episcopum cohiberi haud posse cernerent, questum venerunt ad Antoniam Borboniam Guisii Ducis viduam, quæ cum femina esset virtutum laude illustris, veræque Religionis studiosissima, suamque viciniam Vassiacensibus hisce conciliabulis pollui tolerare nollet, hinc Duci Filio suo nimiam ejusmodi indulgentiam, qua & Deus offenderetur, & ipsius existimatio læderetur, acrius exprobrabat: eapropter Guisius Dux unacum Filio suo, Cardinale suo Fratrem, & Brosio die ultima Februarii Vassiacum venit, ibidemque pernoctavit, & altera die prima Martii circa horam nonam matutinam Ecclesiam adiit, ubi ejusdem Sacellanus rem divinam peragebat: verum vix sacrum operari cæperat, cum
illico

illico Calvinistæ, quorum delubrum erat sat vicinum, ritu suo psalmos intonarent, quia tamen innotesceret, utrum id casu, vel consilio, ac malitia fecissent, adeo tamen confusa, & incondita voce clamabant, ut Dux suas preces interrumpere coactus peteret, quatenus saltem per horæ quadrantem a sua vociferatione cessarent, data fide, quod postea suos cantus, quamprimum Missæ, cui intererat, sacrificium esset peractum, libere profequi valerent: ast Calvinistæ adeo non suos clamores continebant, ut etiam elatiori adhuc voce cantarent, ac responsi loco nil nisi cachinos, atque injurias Duci rependerent:

Cum autem duo Ducis Ephebi natione Germani, quorum unus venatorium sclopetum, alter vero duos manuales Hæri sui sclopos portabat, tantam hæreticorum insolentiam ferre non possent, ad concionis locum accurrerunt, cumque armati essent, ceteri quoque famuli inde animosiores facti illos sequebantur, quin tamen aliud adversus hosce hæreticos molirentur, nisi quod ante fores clamarent, in hoc templo congregatos esse perfidos, ac Deo, Regique suo rebelles: ast cum Protestantes nil nisi contumelias in eos effunderent, hinc Ephebi cum ceteris fores effringebant, unde tantus oriebat

tur

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

tur tumultus, ut Principes veriti, ne eorum domestici majori Calvinistarum in templo congregatorum numero succumberent, illis opem laturo accurrerent, ac præprimis Guisus Dux, cum ex mulierum, ac infantium ejulatu, quid rei subesset, facile intelligeret, a Missæ Sacrificio discedens ad fani portam stricto ense advolabat: attamen vix eo delatus erat, cum illico lapidis jactu in genu, vel ut alii volunt, in manu vulneretur, quamvis vero leviter faucibus esset, tam copiose tamen sanguis ex vulnere profluebat, ut ejus domestici in rabiem acti, nequidem exspectato Domini sui mandato in templum irruerent, trucidatisque circiter sexaginta hæreticis ducentos ferme vulnerarent, quamvis Guisus Dux precibus, ac minis instaret, altaque voce neminem lædi præciperet. Postea Morellus Minister captus ad Sancti Desiderii oppidum abducitur, simulque scamna, ac pulpitem confringuntur, quædam biblia gallica dilacerantur, ac quædam etiam ædes vicinæ spoliantur.

His peractis Dux Rhemos iter suum prosequatur, tumultuque sedato Beza Moncellum voluptuarium Regis prædium Briæ situm venit, qui de hac cæde coram Rege, ejusque Matre Regina questus, tanta arrogantia, ut potius minari,

nari, quam precari videretur, pœnas fumi postulabat: Verum a Navar-
 ræ Rege responsum, quod Calvinistæ
 primi seditioni caussam dedissent, cum
 armati Vassiacensem conventum habuif-
 sent, violantes edictum Mense Januario
 promulgatum, vi cuius arma in cæti-
 bus deferre severe prohibebantur: at Be-
 za hæc reposuit: „dum viri prudentes
 „arma gestant, secum pacis securitatem
 „afferunt.„ Nec his contentus, adver-
 sus Ducis vitam minas quoque evo-
 muisse dicitur, quas etiam postea inhu-
 mana crudelitate executus est.

§. XLVIII.

*Guifius Dux Lutetiam Parisiorum
delatus.*

Cum hæc interea gererentur, Guifius
 Dux haud salutato Rege Parisios
 venit, & quamvis Regina comperto Vas-
 siacensi tumultu nullum non movisset
 lapidem, ut Ducem præpediret, ne Au-
 lam, imo nequidem hanc Metropolim
 adiret, nihilominus per Sancti Dionysii
 portam urbem ingrediebatur, comitan-
 tibus eum Montmorentio Connestabili,
 Aumalio Duce ejus fratre, & San-
 dreano Marefcallo. Adventanti obviam
 ibant Mercatorum Præfectus, urbisque
 ædiles, populus vero festiva voce ubique
 clamabat: *Vivat Guifius:* id vero Regi-
 na

Sæcul. XVI.
 A.C. 1562.

Tiuan. l. c.

na

Sæcul. XVI.
A.C. 1562. na iniquo ferebat animo, quid consilii
caperet, ignara; cum enim vereretur,
ne Triumviri sub veræ Religionis con-
tra sectarios vindicandæ prætextu
summum quoque imperium, cuius ipsa
maximopere tenax erat, sibi arrogarent,
& Regem, ipsamque captam abduce-
rent, hinc Regem, semetipsam ejus Ma-
trem, liberos, atque universum Regnum
Condæo Principi commendabat, eum
sæpius hortata, ut hostium suorum co-
natus totis viribus impediret, quam in
rem ut majorem enixæ suæ voluntatis,
ac fiduciæ in eum repositæ fidem ei te-
stata redderet, plures ad illum litem-
ras dabat, clam tamen id faciebat, ut
promotæ spuris Religionis calumniam
a se amoveret, nec Nobilium, populique
invidia prævalente, Regni administra-
tionem amitteret.

§. XLIX.

*Regina unacum Filio suo Rege Me-
lodunum profuga.*

Thuan. l. 29. Interim Regina haud parum verita, ne
Condæus Princeps confidentiam in-
cautius testatam in rem suam verteret,
suæ securitati consulere, ac Regem ab-
ducere toto conatu moliebatur, ne
Triumviri subolentes, quod illa sese Con-
dæi Principis præsidio committere mo-
liretur, eam prævenirent, captamque
abstra-

abstraherent: eapropter omnem inopinatum insultum præpeditura sese unacum Rege Filio suo Meloduni includebat, quem in locum etiam Navarræ Rex contendebat, ubi pariter Merlæus Mercatorum Præfectus unacum quodam Ædili Reginam salutatum venerat, ac periculum, quod tam Metropoli, quam suis immineret, exposuit, significans, quod Condæus Princeps in eadem Parisiensi civitate tum commorans datis ad omnes inveteratos Calvinistas literis eos illuc convolare jussisset, proin necessarium foret, ut Rex Parisios rediret, eo potissimum nomine, quod haud vana esset suspicio, hujus Metropolis expugnationem a Condæo Principe agitari; nihil igitur in hac rerum vicissitudine magis expeditum dicebat, nisi ut Rex arma, quæ Montmorantii Marefcalli jussu ad urbis Prætorium fuere asportata, civibus reddantur. Ad hæc, quid respondendum, satis anxia hærebat regni Administratrix, Cancellarii tamen consilium secuta pollicebatur, quod intra paucos dies Regem Parisios reducere vellet, spe freta, fors interea rerum faciem ita mutatum iri, ut fidem datam exsolvere haud amplius adstringeretur: ergo Montmorentio negotium dabat, ut arma civibus redderet, ipsa vero, ut se ab omni metu liberam

Sæcul. XVI.
A C. 1562.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

beram ostenderet, Fontem-bellaqueum contendit, ubi acceptis Condæi Principis literis certior reddebatur, quod in Aurelianensi urbe firma cudisset auxilia, quæ conscenso equo nunc exequi pararet: ubi etiam, si ipsa Regem eo conducere vellet, tota Aula contra Triumvirorum ausus tutum asylum re-
pertura esset. Verum hujus moliminis executio haud adeo expedita erat.

§. L.

Rex in Triumvirorum potestatem redactus, ac Parisios abductus.

Thuan. l. c.
Mezer. hist.
de France
tom. 2. abreg.
chron. tom. 5.
p. 85.
Belc. comun.
l. 29. n. 39.

Navarræ Rex præprimis custodes assignabat, qui Reginam Fontebellaqueo exire prohibebant, & postea ipsemet quantocius Parisios contendit, ubi urbis administratione Montmorentio Connestabilis Filio ablata eam Borbonio Cardinali conferri jussit. Subidem tempus Marlæus, atque Ædiles rursus quingentorum militum præsidium in urbem recipiebant, quod tamen, cum adhuc Montmorantius civitati præerat, facere recusabant: Regina vero consilii inops utramque partem pari favore complecti nitebatur, cum Triumviri haud abs re suspicarentur, ne Condæus Princeps, cum jamjam S. Claudii pontem pertransiisset, Regem in suam potestatem redigere moliretur, ut hac ratione æquam

æquam belli, quod movere intenderat, Sæc. XVI.
A. C. 1562.
causam obtendere posset. Verum Navarræ Rex Guisii Ducis, ac Montmorentii Connestabilis sollicitatione animatus Fontembellaqueum petiit, ubi in sacra hebdomada adveniens itineris sui causam Reginæ exposuit, rogans, ut Regem Parisios, utpote locum oppido securum, abduci permetteret. Regina hac declaratione plurimum quidem commota nihilominus cedere cogebatur, unde prærepto etiam consultandi spatio confestim Navarræ Rex juvenem Regem Melodunum abduxit: Regina quidem, quæ Filium suum comitari jubebatur, eundem sequebatur vultu ad tantam serenitatem studiose composito, ut nullum tristicie signum proderet, Rex autem juvenis dolorem suum dissimulare haud poterat, sed puerilibus lacrimis ubertim effusus testabatur, quod se per vim veluti in captivitatem abstrahi iniquo ferret animo: altera autem die Vincennas delatus, sequenti die Lutetiam Parisiorum venit. Hac itaque ratione pro causæ æquitate pugnasse credebantur, atque in adversam Protestantium partem rebellionis macula fuit rejecta, a qua etiam nullo unquam obtentu sese purgare poterant.

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

§. LI.

Aurelia a Condæo Principe capta.

Thuan. l. 29.
Belcar. l. 29.

Cum ergo Condæus Princeps Regem sub potenti Catholicorum præsidio tutum Parisiis commorari perciperet, suam factionem certæ ruinæ proximam credebat, nisi clandestina, quæ cum Aurelianensibus fovebat, consilia ipsi præsentaneum suppeditarent auxilium, cujus beneficio mox urbem capere posset: ergo paulatim quosdam partim Mercatorum, partium rusticorum vestes indutos in urbem immittit, quo etiam Andelotus cum exigua militum manu irreperat: Protestantes vero e latetris erumpentes mox huc, illucque discurrere, ac per domos suos cœtus agere cæperant, ac Sancti Joannis porta tandem occupata, illam suorum trecentis muniebant. Sub idem quoque tempus Monterudius, qui absente Principe de Rupe ad Yonem Præfecti vices agebat, confestim illuc accurrebat, irritum tamen conatu; quippe Andelotus, qui hucusque latuerat, prodibat, & Calvinistarum molimina tuebatur: Condæum vero Principem, ne pariter advolaret, sed Angervillæ adhuc subsisteret, remorabantur crebri Nuntii a Regina submissi, per quos illum hortabatur, ne in tam funesta rerum vicissitudine ipsam, Regem-

Regemque derelinqueret: verum Princeps ab Andeloto persuasus protinus unacum plusquam duobus equitum milibus advenit, urbemque Aurelianensem ingressus est; quapropter Montem ruidius sese recipere cogebatur, obtenta prius a Rege discedendi venia. Hæc gesta fuere die secunda Aprilis.

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

§. LII.

Condæus Princeps bellum a se motum vindicare conatus.

Sub idem tempus Condæus Princeps die septima ejusdem Mensis literas dabat ad omnes Protestantium Ecclesias per universum regnum sparsas, quarum numerus tum ad duo millia ac quingentas ascendebat, prout ipsemet Castillonæus maris Præfectus Reginae nuntiaverat: ab his igitur sectariis Condæus non modo militum, sed & pecuniarum suppetias petebat, necnon quosdam ex suis Nobilibus ablegabat, qui, quiquid virium esset, ad se conducerent: ad hæc accesserunt quoque Ministrorum literæ ex Aurelianensi urbe ad omnes Provincias emissæ. Altera die, seu octava hujus Mensis Princeps scriptum quoddam evulgabat, quo captæ Aureliæ iniquitatem, rebellionemque excusare nitebatur, simulque prolixius, quibus rationibus permotus arma contra

Thuan. l. 5.

F f 2

Trium-

Sæcul. XVI. Triumviros sumpserit, exponebat, repe-
 A.C. 1562. titaque antea gestorum memoria, eo ad-
 verlariorum conatus tendere ajebat, ut
 libertatem Regiis edictis concessam illis
 adimant, qui puriorem in Religione do-
 ctrinam amplectuntur: „ nonne, pro-
 „sequebatur Princeps, immanis illa Vas-
 „saci carnificina, cujus Auctor erat
 „Guissus Dux, seditionis per omnes Re-
 „gni Provincias concitandæ veluti si-
 „gnum exstiterat, ubi Dux in hac tam
 „barbara occasione ad effectum dedu-
 „cebat illorum consilia, qui contendunt,
 „quod gladius semel contra Principem
 „suum strictus nunquam in vaginam re-
 „ponendus esset.„ Tandem libellum
 suum his verbis absolvebat: „ nomine
 „omnium Reginam obtestor, ut longe ab
 „armorum metu, quibus undique obsi-
 „detur, de utriusque partis causa ju-
 „dicet, jubeatque tantum, Guissium Du-
 „cem & ejus fratres, Montmorantium
 „Connestabilem, & Santandreamum Ma-
 „rescallum depositis armis discedere;
 „ego vicissim protinus, quamvis non in
 „eadem cum illis conditione existam,
 „una cum meis omnibus quamprimum
 „domum proficisci paratus sum his con-
 „ditionibus, ut Rex libertati restituatur,
 „sanctiorisque Senatus Consiliariis li-
 „bertas suffragiorum permittatur, atque
 „edicta Regia, & illud Januarii inprimis
 „serven-

„serventur, donec Rex ad eam ætatem **Sæc. XVI.**
 „pervenerit, in qua de re tota juxta Re- **A C. 1562.**
 „gni leges decernere posset. Hæ con-
 „ditiones, cum sint æquissimæ, nisi ac-
 „cipiantur, & Triumviri Regi, Reginæ-
 „que, ac Regis Consilio vim facere, re-
 „gioque nomini illudere, regisque sub-
 „ditis injurii esse pergant, rursus con-
 „testor, me, meosque socios id non to-
 „leraturos, sed culpa tot calamitatum,
 „ac miseriarum, quæ inde secuturæ
 „sunt, & a quibus innocentes sumus, in se-
 „ditionis auctores rejecta, in devota di-
 „ris capita severe vindicaturos.

§. LIII.

*Condæi literæ ad Protestantæ Ger-
manicæ Principes.*

Biduo post idem Condæus Princeps *Thuan. l. 6.*
 ad Germaniæ Protestantæ literas
 dabat, quibus etiam Ministrorum, ac
 Nobilium epistolas adjecit, ut exinde
 de sumptorum armorum causis plenius
 edocerentur: porro in his literis illos
 rogabat, ne tam necessario tempore Re-
 gi, Reginæ, ac toti Regno deessent, nec
 se falsis adversariorum criminationibus
 præoccupari sinerent, sed ad Dei glo-
 riam, Regis, ac Regni salutem susceptum
 bellum viribus suis firmarent, totaque
 vi sua promoverent.

Sæcul. XVI.

A.C. 1562.

Eodem tempore Condæus foederis, quod ipse cum sociis suis pro Regis, ac conscientiarum libertate inierat, formulam subjecit, in qua foederati in rebellionis suæ caput eligebant Condæum Principem, atque illum legitimum Francici Regni vindicem, ac Protectorem proclamabant, eique in omnibus, quæ hujus foederis executionem spectant, obsequium jurata fide præstabant, percusso foedere, quod eo usque duraret, donec Rex ad legitimam Regnum administrandi ætatem pervenerit: insuper Condæo promittebant, se arma, equos, pecunias, annonam, omniaque ad bellum necessaria suppeditaturos, ut bellum inferri posset Triumviris, quos pro læsæ Majestatis reis, ac proditoribus habebant,

§. LIV.

Mendax rumor de foedere inter Triumviros, Hispaniæ Regem, Papam, & Helveticos into a Calvinistis sparsus.

Thuan. l. 29. Ut Calvinistæ rebellionis calumniam, ac initi foederis invidiam imminuerent, aliud contra se foedus a Triumviris esse initum, nequiter spargebant, ejusque formulam divulgabant, in qua Dux foederis Philippus II. Hispaniæ Rex erat

erat nominatus, ac Navarræ Regnum Antonio Regi se redditurum pollicebatur, ea lege, ut hic contra sectarios arma caperet, si vero istorum partibus adhereret, Guisus Dux cum Regiis copiis, aliisque, quas Philippus submittere promisisset, illum bello invaderet: huic quoque foederi accederent Pontifex, & Catholici Helvetiorum Pagi æque ac Imperator, qui interea operam dabit, ne ulli militum delectus in Germania a Protestantibus in sectariorum opem haberentur. Ceterum circa hoc foedus Thuanus hæc subjungit: *de hujus foederis fide ut merito dubitem, sicuti multa me movent, ita credulos, ac suspensos novarum rerum spe animos non solum apud nos, sed in Germania, ac per totum Septentrionem ejus evulgatio pro tempore tantopere commovit, ut in hisce regionibus ob falsum hunc rumorem ingentes pecuniarum summæ pro hoc bello in Calvinistarum favorem corraderentur, cunctique Protestantes Principes copias conscribendi facultatem Condæo Principi concederent.*

§. LV.

Regia libertas comprobata, ac Januarii edictum publico scripto confirmatum.

Ff 4

Eo-

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Thuan. l. c.
Beroit hist.
de l'Edit. de
Nantes l. I.
p. 31.
Davila
p. 114. l. 3.

Eadem die, qua hoc Condæi Principis scriptum Aureliæ promulgabatur, Parisiis quoque divulgatum est edictum, quo Rex æque, ac Regina sic declarabant: „sparsus de nostra captivitate rumor falsus est, & a Condæo, qui æquitate obtentum turbulentis consiliis suis quærit, calumniose confictus, nam nos sponte, non coacti Lutetiam venimus, ut de motibus componendis confultarem, & idonea ad id remedia adhiberemus.„ Ceterum triduo post, atque eodem die, quo Condæi Principis, & Sociorum foedus Aureliæ publicatum est, cum metu suspicionibus aucto nihil pacati a Protestantibus expectaretur, ut omnis illis tumultuandi occasio præcideretur, ex Reginae, Navarræ Regis, Borbonii, & Guisii Cardinalium, Guisii Ducis, Montmorantii Connestabilis, & Aumalii consilio alterum diploma divulgabatur, non ad Curiam, sed ad Prætores, seu Præfectos, & eorum Legatos, qui curiæ subsunt, directum, quo Januarii edictum denuo confirmabatur, sancita rursus præteritorum oblivione, eoque aut Religionis causa cuiquam molestiam, aut periculum creari prohibebatur, & publice itidem cœtus ubique habendi, ac concionandi Protestantibus libertas concedebatur, præterquam Lutetiæ, in qua, & subur-

biis

biis ejus, & intra *banleucam*, uti vocant, Sæcul. XVI.
A. C. 1562.
coetus fieri, aut sacramenta alio, quam
recepto antiquitus ritu, celebrare veta-
batur.

§. LVI.

*Rothomagum, aliæque urbes a Cal-
vinistis occupatæ.*

Postremo hoc edicto, quamvis Prote- Thuan. l. 5.
Mem. de
Castelnau
l. 3. c. 9.
stantium factioni plurimum faveret,
nondum tamen eorum rabies placari
poterat, quinimo ut furorem suum eo
firmius non sine gravi Catholicorum di-
spendio exercerent, Maris Præfectus
Condæo Principi auctor extitit, ut no-
biliore Regni urbes invaderet, prius-
quam Triumviri illas validis præsi-
diis munire possent. Arrepto hoc consilio
mox Condæus Nobiles suos emittebat
ad omnes urbes, ubi Calvinistæ promo-
vendæ huic expeditioni viribus haud
impares erant: cum autem emissarius
ille, qui Rothomagum petebat, majori
ceteris celeritate accurreret, hanc ur-
bem ferme sine ullo armorum strepitu
in suam redegit potestatem, ac prospe-
ri successus fiducia elatus Roberto Mar-
chiano Bullionio Duci, ac Norman-
niæ Præfidi, quem Rex eo able-
gaverat, vetus Palatium ingrediendi fa-
cultatem denegabat, unde is sese reci-
pere cogebatur. Capta Rothomagen-
si

F f 5 urbe

Sæcul. XVI
A. C 1562

urbe continuato rebellionis successu Calvinistæ Cenomanum, Andegavum, Vindocinum, Charitatem ad Ligerim, Blesum, Turonium, Pictavium, Pontem Cæsaris, Bogentium, Cabillonum, Matisconem, Engolismam, Lugdunum, Valentias, Romanum, ceterasque ferme omnes Delphinatus urbes, pluraque Aquitanniæ, & Occidaniæ oppida occuparunt, cui etiam fato cum ceteris succubisset Tolosa, nisi Montlucus opportuno adhuc tempore urbi suppetias attulisset. Porro Calvinistæ in omnibus urbibus, quas usurpaverant, abolito veræ Religionis exercitio altaria evertebant, sacras Imagines dilacerabant, reliquias Sanctorum comburebant, cineribusque in aera projectis Religiosos, & Sacerdotes dire vexabant, ac demum sacrilega crudelitate trucidabant, suaque horrenda rerum sacrarum profanatione seculo populo summopere execrandos reddebant, quin Princeps precibus, minisque, imo nequidem suppliciiis hanc feditiosorum rabiem coercere posset, quam tamen suæ causæ oppido nocivam fore præsenferat.

§. LVII

*Hæretici apud Senones, aliisque in
urbibus trucidati.*

Verum

Verum hæretici pœna talionis casti-
 gabantur, quoties sese opportuna
 offerebat occasio, eorumque plures in
 variis urbibus occidebantur, præprimis
 vero apud Senones horrenda clade affi-
 ciebantur Emario criminalis Curizæ Præ-
 tore sollicitante, ac Guisio Cardinale,
 ut spargebatur, ejusdem urbis Archie-
 piscopo consentiente; divulgata enim
 fama, quod Calvinistæ Ecclesias sibi
 vindicare, easque exspoliare moliren-
 tur, mox plures quam centum omnis
 sexus, ac conditionis a furenti populo
 vel crudeliter necati, aut in Jona flu-
 mine submersi sunt, pluribusque ædibus
 exspoliatis infamis ille locus, ubi hære-
 tici extra urbem sua celebrabant con-
 venticula, solo æquabatur, devastatis
 etiam vineis circumvicinis. Hac super
 re Condæus Princeps die decima nona
 Aprilis datis ad Reginam literis gravi-
 ter querebatur: cum autem singulis
 diebus nuntiarentur exempla paris quo-
 que crudelitatis, qua Protestantes in
 Catholicos desæviebant, hinc dissimu-
 lato hoc facinore Calvinistæ Cadurci,
 Ambiani, Bellovaci, & alibi haud mi-
 tius habebantur: quinimo Senatus die
 postrema Junii cujuscunque conditionis
 hominibus promulgato edicto præcepe-
 rat, ut in hosce hæreticos inquirerent,
 eosque utpote furiosos, juratosque Dei,
 homi-

Sæcul. XVI.

A.C. 1562.

Thuan. l. c.

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.
hominumque hostes e medio tollerent. Denique universum regnum seditionis apertæ flammis flagrabat, bellicque incendium exiguo admodum tempore per omnes Provincias cum tanta immanitate, pugnandique ardore grassabatur, ut nunquam inter Nationes sibi infensissimas atrocius bellum fuisset accensum, in quo nil familiarius erat, quam rapinis, sacrilegiis, homicidiis, incendiis, stupris omnia sus, deque vertere.

§. LVIII.

Reginæ Matris Epistola ad Rhedonensem Archiepiscopum Cæsaris Oratorem circa Concilium scripta.

Instruct. & missiv. des Rois tres Chret. p. 84. & 85. Mem. pour le Concil. de Trente pag. 166. & suiv.
Hi tumultus non obstabant, quominus potior haberetur sollicitudo de Tridentina Synodo, ad quam etiam Regina suos nominabat Oratores, simulque die nona Aprilis ad Rhedonensem Episcopum, qui in Cæsaris Aula Legatus erat, literas dabat, significans, quod summa animi sui lætitia perceperit, quatenus Cæsar immoto studio pro Synodi continuatione intentus esset, cum ipsamet quoque eodem Zelo flagraret, nec unquam ardentius quicquam in votis habuisset, nisi ut tandem afferretur remedium malis, quæ totam
Chri-

Christianam Rempublicam, ac præcipue Galliarum Regnum ob diversitatem opinionum, quæ ibidem circa Religionem grassarentur, crudelem in modum affligerent. Postmodum Regina eidem Episcopo in mandatis dabat, ut receptis hisce literis mox Cæsarem adiret, ejusque nomine grates rependeret, simulque eidem fidem faceret, quod ipsa ejusdem cum Cæsare mentis esset, disertisque verbis Rex ejus Filius Lansaco, qui decima quarta Mensis Aprilis discessurus esset, injunxerit, ut Cæsareæ Majestatis Oratoribus haud prius consultis nihil aggrediretur, sed juncta cum eis opera, & consilio disciplinæ, morumque Reformationem urgeret, simulque prohiberet, ne nimia Franciæ Præsulum firmitas novæ illorum unioni obstet, qui hucusque ab Ecclesia se se segregarunt, atque in sua defectione obstinati perseverant.

Sæcul. XIV.
A.C. 1562.

§. LIX.

Franciæ Oratores ad Tridentinam Synodum nominati

Die vigesima septima Februarii Sancti Gelasii Lansacus, cum adhuc Romæ hæreret, jamjam Synodi Legatus designabatur, Insulanus autem apud Pontificem Franciæ Orator die octava Aprilis Regi suo datis literis nuntiabat, quod

Mem. l. c.
p. 165. Es
168. Thu.
l. 32.

Sæcul. XVI. quod electio Lanfaci, qui Regis nomine
A. C. 1562. Tridentino Concilio interesset, tanto-
 pere Sanctitati suæ placuerit, ut sibi
 optatius nuntium afferri haud potuis-
 se, palam testaretur. Ceterum cum
 Lanfacus ad Franciæ Aulam fuisset re-
 vocatus, summus Pontifex excusatio-
 nem ab Infulano expositam ratam ha-
 bebat, ea lege, ut ille intra hujus
 Mensis spatium Tridentum rediret, quod
 & Legatus pollicitus est. Porro Lan-
 faco in laboris socium adjungebatur
 Arnoldus Ferronus, seu Ferrierus (*)
 Tolosanus jurisconsultus ævi sui cele-
 berrimus, qui tum in Inquisitionum Cu-
 ria Parisini Senatus Præses erat: in-
 super præter hunc nominabatur Guido
 Faber de Bibrac Tolosani Senatus Præ-
 ses, qui Tridento redux, seu paulopost
 Anno Christi millesimo quingentesimo
 sexagesimo quinto ad Hospitalii Cancel-
 larii preces Generalis Advocatus a Rege
 creatus fuerat. Hi secunda Aprilis die
 suis instruebantur mandatis, quæ do-
 ctrinam non minus, quam disciplinam
 concernebant, ea tamen admodum se-
 creta tenere jubebantur, donec Cæsa-
 ris Legati sua quoque exposuissent man-
 data,

(*) Hunc Nicolaus Pſalmæus parte 2. An-
 tiquit. folio mihi 337. vocat Renaldum Fer-
 rarium.

data, quæ hæud parum a Gallicis dis- Sæcul. XV.
 crepabant. Hac cautela utebantur A. C. 1562.
 Galli, ne Synodi Patres magis irrita-
 rentur, cum jam aliunde ob tumultus
 in hoc regno non ita pridem suscitatos
 de Gallorum orthodoxia sinistram con-
 cepissent suspicionem: præterea cauta
 hæc agendi ratione jam prævie, nullo-
 que negotio perspici poterat, quomodo
 Synodus Cæsareorum Oratorum propo-
 sitiones exciperet.

§. LX.

Franciae Regis mandata suis ad Synodum Oratoribus data.

Horum mandatorum summa erat hæc: Mem. p. 168.
 Jam in pacis foedere, quod Mense
 Aprili Anno Salutis nostræ millesimo
 quingentesimo quinquagesimo nono in-
 ter Henricum II. nuper defunctum, &
 Philippum Hispaniæ Regem in Came-
 racensi arce initum est, sancitum fue-
 rat, quod pro Christianæ Reipublicæ
 bono, ac Ecclesiæ pace ambo Princi-
 pes junctis viribus Universalis Concilii
 celebrationem pro Reformanda Eccle-
 sia adeo necessariam procurare, atque
 ad illud suarum ditionum Prælatos eo
 decernere vellent: quinimo Franciscus
 II. Rex ante obitum suum post Præde-
 cessoris sui mortem ejusmodi Concilii
 convocationem sollicitabat, sed morte
 præ-

Sæc. XVI.
A.C. 1562.

præventus tam pium opus profequi haud potuit, quamvis summum Pontificem efflictim rogasset, ut rursus hoc Concilium in loco libero convocare vellet, necnon publicæ securitatis literas omnibus tam Catholicis, quam Protestantibus ad illud accessuris concederet, ut quæstionibus ponderatis, ac discussis tandem præsentibus malis remedium opponi, atque universa Christianorum Respublica in unius fidei concordia demuo uniri valeret. His insuper Rex subjunxit: „mihi a meis fuit suggestum, „quod tunc, si duntaxat Synodi suspensio tolleretur, ac proin hoc Concilium „duntaxat continuari diceretur, nequaquam malo remedium afferretur, sed „potius magis exasperarentur animi, eo „potissimum nomine, quod Principes, „ac Protestantium Ordines, si hæc clausulæ adhiberentur, nunquam suos „Oratores ad Synodum missuri essent, „illorumque absentia omnis concordiæ, „ad reconciliationis spes præcideretur: „cum autem hæc flocci haberi, ex indicti Concilii diplomate, in quo Synodum *sublata quæcunque suspensione convocatam* fuisse dicitur, aperte constet, hæcque verba obscura, atque æquivoca videantur, ac significare velint, quod Papa eandem rem simul facere, & dissolvere intendat: hinc tam pii operis

„ris executionem promovendi desiderio Sæcul. XVI.
 „flagrans hoc diploma mei secretioris A.C. 1562.
 „Senatus deliberationi committere vo-
 „lui, a quo hæc Bulla aliter conci-
 „pienda, proin correctioni obnoxia cen-
 „sebatur: nihilominus, ut universo
 „Christiano orbi notum fieret, quod
 „tanquam Princeps Christianissimus,
 „ac primogenitus Ecclesiæ Filius nihil
 „eorum, ex quibus pro levandis præ-
 „sentibus malis quidam prosper even-
 „tus sperari posset, prætermittere ve-
 „lim, aliunde vero de fidei a sua Sancti-
 „tate sæpius factæ integritate persua-
 „sus haud dubitem, quin Patres in
 „præfato Concilio ea omnino sint de-
 „creturi, quæ tam novam convocatio-
 „nem, quam loci translationem con-
 „cernunt, ideo hujus diplomatis cor-
 „rectioni haud amplius insistere volui,
 „contentus, quod Sanctitatem suam
 „per Rambullietum, & Insulanum Ora-
 „tores meos desuper monuerim, quin
 „tamen propterea deterreri potuerim,
 „quominus mei Regni Episcopis, ut
 „Tridentum versus itineri sese accinge-
 „rent, præciperem, ac Lansacum, Fer-
 „rierum, & Bibracum tanquam Lega-
 „tos meos, qui meo nomine Synodo
 „interessent, præmitterem, spe fretus,
 „quod Concilii Patres, remotis omni-
 „bus privatis affectibus, nil nisi Divini
Hist. Eccles. Tom. XLIV.
G g ho-

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

„honoris augmentum, Ecclesiæ suæ
 „restorationem, necnon sanæ Doctrinæ
 „ad primum suum splendorem, atque
 „integritatem revocandæ necessitatem
 „cordi habere velint: ut vero ex præ-
 „fata Synodo fructus adeo necessarius,
 „atque a probis Christianis tantopere
 „exoptatus colligi possit, præcipue duo-
 „bus articulis insistendum censeo, de
 „quibus jam supra mentio fuit facta,
 „ac sine quibus nulla utilitas sperari
 „valet. I. ergo mei Oratores præprimis
 „postulabunt, ut condito decreto de-
 „claretur, quod hæc Synodus recens
 „sit convocata, nequaquam autem prio-
 „ris Tridenti celebratæ continuatio fo-
 „ret, & hoc quidem ob æquissimas, ma-
 „ximique momenti causas, de quibus
 „jam sæpius Sanctitati vestræ mentio
 „facta fuit, ac præfati mei Oratores
 „plenam habent notitiam: si vero Pa-
 „tres rem jam esse decisam responde-
 „rent, aut rursus de ea deliberari con-
 „sentirent, iidem Oratores mei, si forte
 „Synodi continuatio, non autem nova
 „illius indictio per suffragia approbare-
 „tur, meo nomine exponent, eos di-
 „sertis verbis a me esse iustos declarare,
 „quod continuationis via nequaquam
 „Francici Regni tumultus sopiri possint,
 „proin ipsi ejusmodi decisionem acce-
 „ptare non valeant, quibus dictis a Con-
 „venta

„ventu potius secedant, donec alia de- Sæcul. XVI.
 „super mandata accepturi essent. A. C. 1562.

II. „Circa illum articulum de loci
 „translatione Patribus exponent, quod
 „rationes, ob quas Tridentina Urbs non
 „modo Germanis, sed etiam pluribus
 „aliis suspecta est, omnibus satis clare
 „pateant: ideo ipsi Synodum Constan-
 „tiam, Wormatiam, Spiram, aut ad
 „aliud quemdam locum liberum, tu-
 „tum, omnibusque acceptum transferri
 „postulent: porro utroque hoc articulo
 „aut acceptato, aut rejecto præfati Ora-
 „tores, priusquam ad Reformationis
 „articulos descendunt, circa publicæ
 „securitatis literas a Concilio decerni,
 „ac statui petant, ut singuli, cujuscun-
 „que conditionis sint, aut quamcun-
 „que sectam profiteantur, libere, ac
 „tuto Concilium accedere, ibidem com-
 „morari, permanere, atque inde re-
 „verti possint, necnon, quicquid ipsis
 „bene visum fuerit, ibidem disputare,
 „propugnare, ac defendere, & non
 „modo circa doctrinam, sed etiam circa
 „morum emendationem proponere va-
 „leant, quin propterea capi, ac in cor-
 „pore, vel bonis suis molestari queant,
 „etiamsi præfatæ Synodi decisionibus a-
 „quiescere renuant: porro hanc in rem
 „tam a Pontifice, & Cæsare, quam a
 „Concilio adeo legitima, & ampla se-
 „G g 2 curi-

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

„curitatis diplomata expediantur, ut
„nullus æquam, ac honestam præten-
„dere valeat excusationem, ob quam
„huic Concilio interesse præpediretur.

III. Oratores petent, ut Episcopi
„juxta eorum conscientias cum plena,
„ac perfecta libertate sua suffragia ferre
„queant, ac decretorum, quæ ibidem
„condentur, decisio nequaquam suæ
„Sanctitatis, ac Legatorum arbitrio re-
„servetur.

IV. Decreta, ac Synodi definitio-
„nes ad Pontificis beneplacitum non
„remittantur, quinimo declaretur, quod
„Papa illa immutare, imminuere, aut
„quocunque pacto in illis dispensare
„haud valeat, necnon Sanctitas sua
„juxta priscorum Conciliorum, ac
„præcipue Constantiensis, & Basileen-
„sis decreta sese illis subjicere, ac plene
„obedire teneatur., (*)

V. „Concessis hisce articulis, quos
„etiam utpote rationi, ac æquitati ap-
„prime consonos approbari confido, Ora-
„tores

(*) Cum hæc mandata in nullis Concilio-
rum actis legitimis, imo nequidem in Nico-
lai Pſalmæi actis reperiantur, ac Hæreticorum
opinionibus plurimum consona sint,
non a Regis Christianissimi ore profluxisse, sed
a quodam Calvinista nequiter intrusa fuisse,
fat vero simile est.

stores mei exponent, quod præcipue
 Religionis dissidia ortum, duxerint ex
 corruptelis, quæ per morum, ac di-
 sciplinæ corruptionem in ministerium
 Ecclesiasticum irreperunt, huncque
 suæ defectionis prætextum plures, qui
 sese ab Ecclesiæ Romanæ obedientia
 segregarunt, atque etiamnum sejun-
 gunt, sæpius allegent, unde sat ma-
 nifeste colligitur, nihil magis requiri,
 quam ut a disciplinæ, & morum emen-
 datione tam in capite, quam in mem-
 bris initium sumatur (*) prout id fieri

G g 3 in

(*) Hunc prætextum ab Hæreticis fuisse
 allegatum, nemo est, qui inficias ibit, si vero
 hujus defectionis historia ab alto repetatur,
 cæcus sit, qui non videat, quod tum præ-
 cipue Laicorum Principum, Procerum, &
 populi mores depravati, vitæ licentia, Reli-
 gionis contemptus, bona Ecclesiastica eripiendi
 aviditas, atque Ecclesiæ auctoritatem depri-
 mendi rabies Laicis adeo communis prima
 horum tumultuum origo exstiterit, proin præ-
 primis a corruptelis, quæ per Laicorum ma-
 litiam in Ecclesiam irreperunt, auferendis
 emendatio Orbis in suo capite, & membris om-
 nino necessaria fuerit: Attamen hæreticis, ac
 Pseudo-politicis omni ævo familiare fuit, ut
 sub falso Ecclesiasticos reformandi obtentu Re-
 ligionem oppugnent, ac Principibus adulandi
 studio

Sæcul. XVI.
 A.C. 1562.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

„in Concilio Constantiensi fuerat pro-
 „missum, quamvis effectui non fuisset
 „datum; in Basileensi quidem Concilio
 „huic operi manus fuerat apposita, cum
 „tamen deinceps eodem fervore non
 „fuisse continuatum, tam sanctum, ac
 „necessarium opus sine executione per-
 „mansit. Hanc in rem exponere pote-
 „runt Oratores ea, quæ in Constantiensi
 „Concilio acciderunt, ubi Martinus V.
 „Reformationis negotium ad Romanam
 „Synodum remisit, eamque solemniter
 „promisit, quin illam ipse, aut ejus Suc-
 „cessores executioni dederint, ex quo
 „admodum sinistra de iis, qui huic rei
 „prospiciendi auctoritate pollent, opi-
 „nionem concipiendi ansa præbetur,
 „atque exinde omnes tumultus, qui
 „hodie dum fervent, atque ex opinio-
 „num diversitatibus nascuntur, aperte
 „foventur, atque augentur. (***) ut
 „autem hæc Reformatio obtineatur,
 ne-

studio bona Ecclesiasticis diripiant, atque ex
 eorum spoliis sibimetipsis divitias corradant,
 ac demum sibi solis supremum non modo in
 Ecclesiasticos, sed tandem in ipsos etiam Prin-
 cipes dominatum, ac imperium vendicent.

(**) Quis credat, a Rege Christia-
 nissimo suos Oratores tam putido hæretico-
 rum mendacio fuisse instructos, perinde ac si
 Mar-

„necessarium erit, ut ad prima Ecclesiæ
 „exordia redeatur, hocque pacto Sta- Sæcul. XVI.
A.C. 1562.
 „tus Ecclesiasticus ad eandem ferme
 „primæ ætatis puritatem revocetur.

VI. „Circa Episcopos, aliosque in-
 „feriores Ecclesiæ Ministros, quibus
 „animarum cura, salusque committi-
 „tur, summus Pontifex ad Christianæ
 „Reipublicæ bonum nullo pacto sese Epi-
 G g 4 scopo-

Martinus V. reformationis negotium negle-
 xisset: nonne illius Oratores, si hæc Patribus
 exposuissent, illico falsitatis cum summo de-
 decore argui potuissent: nonne Patres eis ante
 oculos confestim posuissent, quod hic Ponti-
 fex ad Curia reformationem protinus inten-
 derit, ac Monasteria, Sacerdotia, atque Eccle-
 sias jurisdictioni Episcoporum subductas prio-
 rem redegerit ad formam, simoniam coercue-
 rit, & Romæ anno 1424. a Cardinalibus Cu-
 ria reformationem exorsus leges plusquam
 viginti, quas Cantelorius in vita Martini V.
 recenset, pro iisdem condiderit, ut ceteros
 suo exemplo ad morum reformationem exci-
 taret. Vide Palatium, Platinam, aliosque in
 vita Martini V. certum igitur esse videtur
 hæc mandata Rege adhuc puero nonnisi per
 Calvinistam quemdam fuisse consarcinata, præ-
 cipue cum illo tempore præter eos, qui Gui-
 siis egregiis fidei Orthodoxæ defensoribus
 adhæserunt, ferme ceteri omnes, qui rerum
 summæ præerant, hac lue infecti fuerint.

Sæcul XVI.
A.C. 1562.

„scoporum, Abbatum, aliorumque Præ-
„latorum, ac Parochorum electionibus,
„collationibus, aut illorum administra-
„tioni ingerat, nisi in casu negligenti-
„tiae, juxta Sanctorum Conciliorum
„decreta, atque antiqua Ecclesiae Gal-
„licanae jura, & libertates. (*)

VII. „Imposterum Pontifex quacun-
„que ex causa contra Conciliorum de-
„creta nullas concedat dispensationes,
nec

(*) Prorsus egregie ad sententiam hæreticorum illius ævi hæc dicta sunt: ergone oves Pastorem dirigant? itane Christianæ Reipublicæ bonæ consultum est? si non Pontifex, sed quicumque etiam Laici promiscue sese rebus Ecclesiasticis, Præsulum electionibus, & beneficiorum collationibus ingerunt: nonne Ecclesiae magis consultum foret, si ab occultis ejusmodi Politicorum artibus & Christianæ Ecclesiae hostibus immunis esset, qui plus Ecclesiae nocent, quam hæretici aperti illius inimici, qui sine ambagibus pronuntiant: *Nulla est Pontificis auctoritas, sed omnis in Sacra jurisdictione pones Magistratum, vel populum versatur*: nam horum error facile ex S. Literis, atque unanimi Ecclesiae, & Conciliorum doctrina confutari valet, isti autem in erroris sui patrocinium, falso licet, ipsa Conciliorum decreta allegare audent, ut suæ nequitiae, ac erroneis opinionibus etiam apud Catholicos auctoritatem concilient.

„nec etiam præventionis jure ullam
 „Parochiam, nec alia beneficia con-
 „ferat, sed plenam illorum dispositio-
 „nem ordinariis Collatoribus relinquat,
 „nisi hi in illis conferendis essent negli-
 „gentes, juxta eadem decreta.,

Sæcul. XVI.
 A.C. 1562.

VIII. „Omnes concessionis literæ
 „in ejusmodi eventibus, vel alia di-
 „plomata ab auctoritate Pontificis de-
 „pendentia gratis expediantur juxta
 „eorundem Conciliorum præscripta,
 „hacque ratione Annatæ, omnesque
 „ceteræ exactiones, ac subsidia ab-
 „oleantur. (*)

IX. „Omnes Archiepiscopi, & Epi-
 „scopi in suis beneficiis, non admittant
 „quacunque dispensatione resideant,
 „quapropter ejusmodi beneficia ab iis
 „possideri nequeunt, cum alibi residere
 „teneantur.

X. „Imposterum Pontifex nullum
 „mittat Legatum, qui beneficia con-
 „ferendi potestate sit munitus.

XI. „Deinceps illi, qui ad Archie-
 „piscopatus, & Episcopatus promove-
 „bun-

(*) Populus ad sustentationem profani sui
 Principis, necnon ad sublevanda status sui
 onera suis etiam bonis concurrere tenetur:
 solus autem populus Catholicus ad supremi
 sui Pastoris sustentationem, ac regendæ Ec-
 clesiæ expensas concurrere prohibetur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

„buntur, ætatem, scientiam, atque
„approbationem a Conciliis requisitam
„habeant, atque juxta Ordinem ab Ec-
„clesiæ Canonibus stabilitum admittan-
„tur, & inaugurentur.

XII. „Cum ad obtinendam legis
„gratiam in variis negotiis Romam re-
„curratur, sæpiusque petatur, ut ad
„contrahenda matrimonia in secundo,
„tertio, & quarto affinitatis, & con-
„sanguinitatis gradibus dispensatio
„fiat, vel eadem inire permittatur ex-
„tra tempus ab Ecclesia permissum, nec-
„non pluribus aliis in rebus, relaxa-
„tio postuletur, hinc pro conscientia-
„rum tranquillitate, ac singulorum le-
„vamine requiritur, ut Synodus huic
„malo prospiciat, quin impostero pro
„ejusmodi dispensationibus Romam re-
„currere necesse sit, cum ibidem om-
„nia impetrentur, dummodo afferan-
„tur pecuniæ. (*)

XIII. „Nullus extraneus deinceps
„in hoc Regno beneficium obtineat,
nisi

(*) Hujus Calumniæ, ac mendacii falsitas manifesta est omnibus duntaxat Historiam Ecclesiasticam percurrentibus; quoties enim Principes imo, & Reges promissis etiam immensis pecuniarum summis, ejusmodi tamen dispensationes a Sede Apostolica obtinere non poterant.

„nisi prius patrio idiomate instructus
 „populum suum imbuere, & edocere
 „valeat, ac in præfato beneficio reipsa
 „resideat: omnes autem collationes,
 „quæ contra hanc sanctionem fient, sint
 „nullæ, quin summus Pontifex quacun-
 „que ex causa dispensare valeat.,,

Sæcul. XVI.
 A.C. 1562.

XIV. „Deinceps nullam pensionem
 „in beneficiis, quæ resignabuntur, quis-
 „quam sibi reservare poterit, nec illam
 „constituere in illis beneficiis, in quæ
 „quoddam jus habere contendit.,,

XV. „Omnia mandata, reservatio-
 „nes, regressus, atque exemptiones
 „in posterum tollantur, atque abrogen-
 „tur, tam in ditionibus Regi subjectis,
 „quam in aliis.,,

XVI. „Ex Britannia, Provincia,
 „aliisque hujus Regni locis in posterum
 „in beneficialibus, vel aliis causis Ro-
 „mam pro jure dicendo non recurratur.

XVII. „Nullus ad sacros Ordines,
 „vel Ecclesiæ Ministeria nisi vel ab Epi-
 „scopo, vel saltem eo permittente ad-
 „mittatur, nec contra hoc statutum
 „Papa quoddam diploma, aut dispen-
 „sationem concedere poterit.,,

XVIII. „Sextus Concilii Calcedo-
 „nensis Canon in Sacerdotum ordina-
 „tionibus exacte ab Episcopis observe-
 „tur, ut obvietur malis, quæ ex immode-
 „rato nascuntur illorum numero, qui
 vel

Sæc. XVI. „vel non legitime approbati, vel non-
A.C. 1562. „dum certo ministerio destinati Sacer-
 „dotio initiantur, atque ad Ecclesiæ
 „munia recipiuntur.,

Hæc erant præcipua Reformationis capita, quæ Oratores effectui dari a Synodo peterent, quibus insuper subjungere jubebantur querelas, & onera contra ausus, quibus privilegia, immunitates, atque Ecclesiæ Gallicanæ libertates labefactantur, (*) atque in literis per Regis Aulicos conscriptis continebantur, necnon unacum præsentis mandato præfatis Oratoribus dabantur: insuper impedire tenebantur præfati Legati, ne in Regionum jurium, privilegiorum, ac Ecclesiæ Gallicanæ libertatum præjudicium, sive circa Archiepiscopatus, Episcopatus, atque Abbantias, sive circa alias causas quicquam in Concilio statuatur: si vero ejusmodi
 privi-

(*) Si integra Natio contra jus commune immunitates, ac privilegia habet concessa a summo Pontifice, inde nulla corruptela in Ecclesia nascitur, nec Pontifex privilegium a se concessum, etsi id utilitas Ecclesiæ deponit, revocare potest: si vero idem Papa unico Ecclesiæ Ordini ob ingentia merita exemptionem, immunitatem, vel privilegium concedit, exinde tota Ecclesiæ disciplina dicitur eversa, ac Pontifex ea revocare tenetur.

privilegia labefactari animadvertent, reclamationem, moxque ea de re Regem certiores faciant. (*)

Sæc. XVI.
A. C. 1562.

„Quoniam vero, prosequeretur Rex,
„Cæsar meo Oratori, qui in ejus aula
„versatur, declaravit, quod ipse vehe-
„menter exoptet, ut mei Oratores ad
„Synodum venientes cum ipsius Lega-
„tis conferant, junctaque opera probæ
„morum, ac disciplinæ emendationi
„tandem obtinendæ, ex qua præcipuum
„Synodi fructum colligi speratur, dili-
„genter infudent, cumque aliunde Cæ-
„sar petat, ut nostri Episcopi rebus, quæ
„duntaxat juris sunt positivi, salvaque
„Religione cum majoris boni spe re-
„laxari possunt, pertinaciter non in-
„sistant, hinc piam Cæsaris volunta-
„tem summe commendans præcipio, ut
„mei Oratores, quamprimum advene-
„rint, quotiescunque expedire videbi-
„tur, cum Cæsareæ Majestatis Legatis
„conferant, ut cuncta, quæcunque ad
„Reformationem conducere videbun-
„tur, proponere, ac communi opera ur-
„gere valeant, remque eo deducant,
„quatenus mei Præsules cum Cæsareis
„Episcopis conspirent, ac nil, nisi Di-
„vinæ gloriæ incrementum respiciant,
simul-

(*) Supple, consentiant tamen, si quid contra Pontificis jura decerni animadverterint.

Sæcul. XVI. „simulque præfatæ Reformationi ex
A.C. 1562. „animo adlaborent, quin nimia perti-
 „nacia suis inhæreant opinionibus, quan-
 „do adversa sententia ad Ecclesiæ pa-
 „cem, atque ad illos, qui ab Ecclesia
 „segregati sunt, rursus eidem uniendos
 „magis conducit: cum autem maxime
 „expediat, ne Synodi Patres præci-
 „piti consilio Protestantium opiniones
 „condemnent, (*) atque exinde po-
 „tius a reditu absterreantur, quam
 „alliciantur: hinc Oratores mei vehe-
 „menter urgeant, ut decernatur, quod
 „omnes censuræ, & condemnationes
 „ad Synodi exitum rejiciantur, eo fine,
 „ut omnibus mature examinatis, discus-
 „sis, atque agitatis, auditis etiam sin-
 „gulis, qui comparere voluerint, levi-
 „tatis nota Episcopis injuri non valeat:
 „si vero in eodem Concilio de quodam
 foedere

(*) Horum mandatorum Author plura
 studiose insperfit, ut argumentum posteris
 suppeditet, quod Reges, & Principes summo
 Pontifici, imo ipsis etiam Conciliis leges
 præscribere, familiare habuerint, atque ex
 ejusmodi exemplis tandem inferatur, quod
 Principes profani sint non modo supra Papam,
 sed etiam supra Concilium, & Ecclesiam.
 Ecce! quam nocivum sit Religioni, ex cor-
 ruptis fontibus Ecclesiasticam concinnare hi-
 storiam.

„fœdere ineundo mentio occurrat, aut Sæcul. XVI.
 „vi, armisque contra Principes, qui A.C. 1562
 „fese Synodi decretis subjicere, aut
 „ea executioni dare remuerint, proce-
 „dendum decerneretur, tunc Oratores
 „mei sese opponant, ac demonstrent,
 „quod Principum, populorum, ac No-
 „tionum, quæ sese ab Ecclesiæ Romanæ
 „obsequio subtraxerunt, numerus adeo
 „ingens sit, ut ex ejusmodi fœdere nul-
 „latenus Christianæ Reipublicæ tran-
 „quillitas sperari, sed potius illius exi-
 „tium timeri possit, solaque ejusmodi
 „societatis propositio sufficiens foret,
 „ut ignis nonnisi postea ægerrime ex-
 „tinguendus accenderetur: igitur pro-
 „pter hæc rationes, ne tumultus, qui
 „in Ecclesia sat magni, ac universo
 „Christiano orbi plurimum nocivi sunt,
 „vel minime augeantur, proponant Ora-
 „tores, quod ipsis utilissimum, tutissi-
 „mum, ac Christianorum Principum
 „dignitati longe convenientissimum vi-
 „deatur, si hæreticos per media nobis
 „a Christo in Evangelio proposita, at-
 „que ab Apostolis non sine fructu usur-
 „pata ad Ecclesiæ finem revocare ten-
 „taverint, (*) præcipue cum etiam Epi-
 scopi

(*) Quænam autem sint hæc media, hic
 dicitur: id autem certum cunctis constat,
 quod

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

„scopi Catholici Apostolorum Successo-
res teneantur illos imitari. Denique
„exponant, quod ego ejusmodi fœderi,
„cum illud summe perniciosum fore
„prævideam, nunquam assensus sim:
„si vero hæreses in Galliis tolerari, ora-
„toribus objectetur, ac Synodi Patres
„ab eis sciscitentur, an ego ad servanda
„Concilio decreta meos subditos vi com-
„pelli statuere: ad hæc respondeant,
„quod ego non sine animi mei dolore
„sub primis regiminis mei auspiciis di-
„versitatem opinionum, quæ in Religio-
„nis negotio dominantur, meorum sub-
„ditorum potissimis, eorumque animis
„tam firmiter impressam repererim, ut
„in imbecilli ætate mea hæreticos vi
„compescere non possim, nisi me coro-
„nam meam amittendi periculo, re-
„gnumque maximo discrimini expo-
nam:

quod hæretici, omnesque illi, qui sensim
suas Sectas propagare nituntur, ejusmodi
doctrinam plenis buccis deprædicent, ut suo-
rum scelerum impunitate freti, elusa lenitatis,
anathematis &c. via illam latius diffundere
valeant, atque ii ita invalescant, ut Regno-
rum quies ab eis turbata nequidem armorum
potentia amplius revocari possit, ejus rei
luculentum subministrat argumentum rebellio
Calvinistarum in Galliis suscitata.

nam: (*) de cetero autem præcipere de-
 crevi, ut mei Regni Præfules per
 assiduam divini Verbi prædicationem,
 pia exempla, & Reformationem a Sy-
 nodo præscribendam, cum hæc sint
 vera, & potentissima subditos meos
 aberrantes reducendi media, Regnum
 ab omni sectarum, atque opinionum
 diversitate expurgare, atque ad idem
 ovile reducere satagant: (***) porro huic
 rei omnes meas vires impendere sta-
 tui:

Sæcul. XVI.
 A.C. 1562.

(*) Hæc a Rege Christianissimo in man-
 datis fuisse data, quis credat? unde obser-
 ves velim, longe certius esse, quod hæc
 mandata ab hæretico Authore fuerint conficta;
 ea enim Rex, cum adhuc puer fuerit, con-
 ficiendo impar erat, Regina autem illa con-
 cinnasse a nullo Scriptore refertur: Rex quo-
 que Navarrus, ac Guisii tanto Religionis
 studio tum flagrabant, ut ejusmodi mandata
 Legatis dare erubuissent: necesse igitur est,
 ea a quodam fidei Catholicæ hoste aut intrusa,
 aut mere conficta fuisse. Forte ad hanc anim-
 adversionem meam rursus Berolinensis censor
 addet: die Ursach, welche Herr Pater hinzuset-
 zet, ist in der Politic sehr gültig.

(**) Ad hæc autem potentissima remedia
 hæretici rident, præcipue quando Præfulum po-
 testas non firmatur Principum potestate, at-
 que armorum vi.

Hist. Eccles. Tom. XLIV. Hh

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

„tui: eapropter Oratores Patribus
 „aliisque, qui potissimum conferre
 „possunt, supplicent, quatenus suam
 „& ipsi operam ad hoc conferant, at-
 „que omnia privata commoda, ac hu-
 „mana abjiciant consilia, sincere ea sta-
 „tuentes, quæ Dei cultum, Ecclesiæ
 „pacem, totiusque Christianæ Reipub-
 „licæ in una Sancta, & Catholica Re-
 „ligione unionem, ac concordiam con-
 „cernunt: ceterum cum Regis Catho-
 „lici Oratores in variis occasionibus
 „meos Legatos præcedere niterentur,
 „hinc volo, ac peto, ut mei Oratores
 „proximi a Cæsareæ Majestatis Legatis
 „confideant, nulloque pacto in præfata
 „Synodo, aut in quocunque alio loco,
 „aut conventu, ubi de occupando ho-
 „noris loco disceptabitur, aliam sedem,
 „locum, aut ordinem occupent, nisi qui
 „primus est post Cæsaris Oratores: si au-
 „tem forte hæc prærogativa Gallis in du-
 „bium vocaretur, mei Legati palam de-
 „clarent, se nunquam cessuros, nec un-
 „quam, nisi illis idem locus, ordo, ac
 „sedes concedatur, Synodo interfuturos,
 „sed mox inde discessuros, ut me adi-
 „rent, qui illis ammodo præcipio, ut
 „hanc agendi rationem teneant, facta-
 „que prius protestatione declarent, quod
 „nec ego, nec meum Regnum ulla hu-
 „jus Synodi decreta rata habere velit,
 „qui-

quinimo etiam meo nomine Franciæ ^{Sæcul. XVI.}
 Episcopis præcipio, ut pariter a præ- ^{A. C. 1562.}
 fato Concilio discedant, atque in Gallias
 revertantur. (*)

Hæc demum fuere mandata, quæ
 Franciæ Oratoribus data abs dubio haud
 æquo animo a Synodi Patribus accipi
 potuerunt, hinc in quodam libello, In-
 sulanus apud Pontificem Franciæ Lega-
 tus, ad Abbatem San- Gildasii, qui tum
 in Gallias contenderat, perscripsit, quod
 Pontifex ad eum dixerit, sibi videri,
 quod Lansacus in sui mandati execu-
 tione potius Hugonottarum Oratorem
 agere voluerit, cum prorsus insana, no-
 vaque circa Religionis capita petierit,
 atque inter alia voluerit, ut Angliæ
 Regina, Helvetiorum Protestantium
 Oratores, Saxoniae, ac Wirtembergæ
 Duces expectarentur, necnon a Synodi
 Patribus invitarentur. Ceterum ea,
 H h 2 quæ

(*) Ægre tibi persuadebis, Christiane Le-
 ctor, hæc dictata fuisse a Rege Christianissi-
 mo; quis enim credat, quod Princeps, qui
 pro Ecclesiæ unione tantum studium exerere
 videbatur, nunc ob solam sedis prærogati-
 vam nova dissidia suscitare, atque Concilio
 reconciliandæ pacis gratia convocato non
 sine Christianorum offensione maximum no-
 cumentum inferre voluerit: ex his igitur ma-
 lignus hujus mandati animus patescit.

Sæcul. XVI
A.C. 1562.

quæ hac in re postea in Concilio fuerunt gesta, in Historiæ progressu perspicimus, ubi de adventu Franciæ Legatorum, qui die vigesima sexta Martii excepti fuerant, sermo occurret.

§. LXI.

Duodecim articulorum examen in Synodo inchoatum.

*Pallav. l. 16
c. 4. n. 1. &
seq. Sarpus
l. 6. p. 468.
Spond. an-
nal. ad hunc.
ann. n. 20.*

Interea Legati, usquedum Sessio ad diem decimum quartum ejusdem Mensis indicta celebraretur, Tridenti assiduo labore suas Congregationes habere pergebant, atque in illis, quæ a septima usque ad decimam octavam Aprilis diem cogebantur, præcipue agebatur de duodecim illis articulis, quos Legati in conventu die undecima Martii habito proposuerant: cum autem horum primus, qui Episcoporum residentiam concernebat, longum temporis spatium sibi vendicaret, ea res pluribus contentionibus erat obnoxia; etiamsi enim hæc quæstio jamjam in Synodo sub Paulo III. fuisset agitata, nihilominus Patrum sententiæ in hoc discrepabant, an decidendum esset, quod residendi necessitas ex divinorum jure descendat; nam nonnulli censebant, quod tunc, si residendi obliga-
tio

tio imponeretur, summi Pontifices (*) præpedirentur, ne illos ab Ecclesiis suis sejungere, atque ad exercenda supremi in Ecclesia Magistratus munia, aliaque Curiae suæ officia assumere possent, quin potius pro officii sui munere ipsimet Episcopos juxta Sacrorum Canonum præcepta ad residendum poenis, ac censuris compellere tenerentur. Alii ex aduerso arbitrabantur, supervacaneum esse ejusmodi examen, cum nullo modo, sive hæc residendi lex divini, vel Ecclesiastici juris sit, dubitari valeat, eam esse præceptam, atque oppido necessariam, proinde deliberandum potius de ratione, qua observetur præceptum, quam unde illius origo descendat.

§. LXII.

Hierosolymitani Patriarchæ sententia.

Hæc eadem quæstio acrius adhuc agi- *Sarpus*
tabatur in primo conventu gene- *p. 469.*
rali die septima Aprilis post Paschatis
festa celebrato, in quo Patrum nonnulli
hac super re adeo prolixè differebant,
ut ceteris nonnisi exiguum suam men-
tem declarandi spatium relinqueretur:

Hh 3

inter

(*) *Utpote*, addit Pallavicinus, ex quo
Continuator hæc deprompsit, *divini juris exe-*
cutores supremi.

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

Sæcul XVI.
A. C. 1562.

inter alios vero, præcipue Jerosolymitanus Patriarcha præprimis hæc protulit: „hic articulus, in quo de quæstione „circa residentiam agitur, jam in prima „hujus Concilii sub Paulo III. indicti celebratione fuit agitatus, ubi etiam conclusum fuit, quod ad residentiam stabilendam duo requirantur, atque in „primis pœnæ adversus non residentes „denuntientur, & dein removeantur ea, „quæ residentiam impediunt: circa pœnas quidem adeo abunde provisum fuit „in Sessione nona, ut nihil addi possit; „mulcta enim pecuniarum gravissima „imponeretur, absentesque dimidia parte „fructuum unius anni coercerentur, quæ „pœna gravior excogitari non potest, „nisi Episcopus velit esse mendicos, nec „gravior sine temeritatis nota infligi „posset, etiamsi insignis contumacia vindicaretur, nisi forte omnino injungeretur privatio, quæ cum executioni „sit mandanda, neque alius a Pontifice eam exequi sit idoneus, cum vetus Ecclesiæ mos causarum Episcopaliurum censuram Apostolicæ sedis cognitioni reservavit: hinc ea Sessione „Patres in Pontificem conjecerunt curam omnem remedii adinveniendi, vel „alios pro Ecclesiis Pastores constituendi, „vel providendi alia ratione, vi cujus „Metropolitanus adstringeretur, ut de

de Suffraganeorum absentia Pontificem
 certiore reddat: ceterum de altero
 etiam remedio agi cœptum, compluri-
 ribusque decretis, tam in ea Sessione,
 quam in aliis, permultas exemptiones,
 atque immunitates, quæ Episcopos in
 suo munere præpediebant, sublatae
 sunt, hinc id in præsens superest, ut in
 reliquis exemptionibus tollendis con-
 stanter pergatur, Patribus aliquot, prout
 hucusque factum, selectis, qui colli-
 gant in unum impedimenta, postmo-
 dum tollenda, ut iis in congregatione
 propositis prospiciatur.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1562.

§. LXIII.

*Archiepiscopi Granatensis opinio circa
 eundem articulum.*

Hunc Præsulem excipiebat Granaten-
 sis Archiepiscopus, qui ita effatus
 est: „jam Pauli III. ætate propositum
 fuit remedium maxime efficax, atque
 in id collimans, ut residentia præce-
 ptum ex jure divino descendere de-
 clararetur: qua de re integris etiam
 decem mensibus actum fuit, quinimo
 hic articulus utpote necessarius, atque
 inter capita doctrinae Ecclesiasticae pri-
 marius, haud dubie determinandus
 fuisset, nisi Synodi ejus progressum a-
 liquid interrupisset, nec minus quæ-
 stio fuisset discussa, & rationes addu-

Pallav. l. c.
 n. 4.
 Sarp. l. c.

Sæcul. XVI. „ctæ in medium mox typis editæ, hinc
A.C. 1562. „materia jam præparata, digestaque
 „tantum restat, ut perficiatur: si enim
 „definitur, quod residentia descendat
 „ex jure divino, tunc impedimenta om-
 „nia sua sponte facile desinent, atque
 „Episcopi eo, quod est muneris sui, pro-
 „be cognito religiose officium facient,
 „uti decet eos, qui se veros Pastores di-
 „cunt, non mercede conductos, nec non
 „pro grege sibi a Deo commisso vil-
 „licationis suæ rationem divino ju-
 „dicio reddere tenentur, quin culpam
 „in alios conjicere possint, ut dispensa-
 „tionibus se quicquam juvari, aut excu-
 „sari posse noverint, hinc certe provin-
 „ciæ sibi traditæ invigilabunt: „ his
 prolatis multis e veteri, ac novo testa-
 mento testimoniis, & Patrum interpre-
 tationibus adductis contendebat, veri-
 tatem eam esse Catholicam, unde sic
 concludebat: „omnibus fidelibus scan-
 „dali occasio præberetur, nisi Synodus
 „hanc quæstionem decideret, proin ea
 „super re audiantur sententiæ Theolo-
 „gorum, qui tanta frequentia, atque e-
 „ruditionis præstantia clari Deo faven-
 „te hic adsunt, ut per nullam unquam
 „opportunitatem dignius posset tam gra-
 „ve dogma constitui, in eo præcepto
 „quippe, si res definitur, admitti possent
 „secundum æquitatem exceptiones, ho-
 „mini-

„minibus, ac temporibus accomodæ., Tandem adiecit modos quosdam, quibus definitio facilior redderetur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

§. LXIV.

Quorundam Patrum sententiæ contra residentiam.

Hujus Archiepiscopi sententiæ accesserunt Præsulum potissimi, qui primum hunc articulum in quinque capita dividebant, petebantque, ut in primo expenderentur cuncta mala, & jacturæ ex neglecta residentia profectæ, ejusque observandæ necessitas. In secundo declaretur, quænam essent ejus impedimenta, & quo pacto removenda. In tertio statuatur, quibus pœnis transgressores hujus legis sit deterrendi: In quarto discutiatur, quibus proemiis ad ejus observantiam residentes alliciendi veniant. In quinto denique inquiratur, quæ ratio ineunda, ut ea, quæ illic stabilita fuissent, in opus deducantur.

Sarpinus l. c.

Porro residendi necessitas adeo extollebatur, ut contra illius violatores pœnæ tam severæ proponerentur, ex adverso autem residentibus præmia tam ampla sponderentur, ut in hoc solo articulo tota legis perfectio, hominum felicitas, salutisque certitudo reposita videretur: attamen hæc sententia licet sua firmari auctoritate crederetur, vehemen-

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

ter tamen impugnabatur ab aliis, qui hanc opinionem esse novam, illiusque primum Authorem fuisse ajebant Cajetanum Cardinalem, qui tamen Cajetanus Episcopus, ac Panormitanus Archipræsul creatus in postremis vitæ suæ diebus hanc sententiam rejecerat, atque in suo Episcopatu nunquam morabatur (*) de cetero inquiebant illi. „I. Ecclesia semper asseruit, quod Pontifex „in hac lege possit dispensare. II. Non „residentes omnibus sæculis, aut castigati, aut reprehensi quidem fuere, sed „solummodo tanquam Canonum violatores, non autem velut legis divinæ „transgressores. III. In prima Synodi „hujus convocatione hæc quæstio quidem agitata fuit, sed disceptatio a Legatis viris prudentissimis, quod periculo non vacaret, scite, dextereque compressa est: hinc idem nunc fiat: libri „enim de ea re exinde editi multis offendentulo fuere, & disceptationem „hanc solo factionum studio susceptam „demonstrarunt, nam quod Scripturæ „sacræ, & Patrum auctoritates attinet, „illæ

(*) Negotia, ob quæ Cajetanus in Ecclesiæ utilitatem varias urbes, ac Regionem pertransire cogebatur, neminem latent: quod autem in suis Ecclesiis nunquam resederit, Vitæ ejus acta mendacii arguunt.

„illæ duntaxat ad perfectionem adhor-
 „tationes sunt, nihil hic autem occurrit
 „solidi præter Canones, qui tamen sunt
 „leges mere ecclesiasticæ, seu, ut vo-
 „cant, positivæ.”

§. LXV.

Adiacensis Episcopi sententia.

Hanc in rem Joannes Baptista Bernar-
 dus Adiacii in Corsica Episcopus
 ita perorabat: „Quandoquidem nunc
 „non agatur de hac, aut illa opinione fir-
 „manda, sed tantum de Clero ad resi-
 „dendum obligando, ut id effectum for-
 „tatur, frivolum est declarare, unde ea
 „dimanet obligatio, & frustra laboratur
 „in alia re, quam in absentia causa tol-
 „lenda: absentia vero non alia est caus-
 „sa, nisi quod Episcopi in aulis Princi-
 „pum degentes sæcularibus negotiis ad-
 „ministrandis impliciti teneantur, Judi-
 „cum, Cancellariorum, Secretariorum,
 „Consiliariorum, & Quæstorum munia
 „obeuntes, adeo, ut vix fere munus a-
 „liquod publicum reperiatur, in quod
 „Episcopus aliquis adlectus non sit:
 „porro hæc alieni muneris usurpatio
 „proscripta fuit a D. Paulo, necessarium
 „ducente, ut is, qui Ecclesiæ militat, sæ-
 „cularibus abstineat negotiis: facien-
 „dum igitur est id, quod per Apostolum
 „Deus præcipit, rursusque vetandum,
 „ne

Sæc. XVI.
 A.C. 1562.

Sarpinus l.c.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

„ne Ecclesiastici in sæcularibus munus,
„officium, gradum ordinarium, vel ex-
„tra ordinem teneant, quo semel pro-
„hibito, statutoque, ne negotiis impli-
„centur sæcularibus, cum Episcopis nul-
„la supersit caussa, cur aulam frequen-
„tare debeant, sua sponte absque præ-
„ceptis, pœnarumve denuntiationibus,
„in suam quisque se Diœcesin ad residen-
„dum ibi recipiet, neque inde, negotio-
„rum occasionibus jam ademptis, facile
„migraturus erit. „(*) Verum huic sen-
tentiaë

(*) Hæc Continuator ex Sarpio incurius
defloravit, non attendens, ea a Pallavicino
fuisse confutata his verbis: *Equidem Bernardi
sententiam lustravi, & nihil reperi ex iis, quæ
Suavis illi tribuit, hoc est, quo mansioni consule-
retur, Episcopos removendos esse a ministeriis
Principum Laicorum, addens, his repugnasse E-
piscopum quinque Ecclesiarum: sed ejus oratio
fuit hujusmodi: Residendi debitum extra con-
troversiam esse, nec oportere subtiliora indagare:
eum igitur, quem virtutis amor, & conscientiaë
stimuli satis impellerent, non alia declaratione
indigere, nisi ea, per quam a sua quisque in-
telligentia doceretur, non posse boni Pastoris
partes simul expleri, & ipsum a grege simul
abesse, illi etiam, qui animum gereret tam abje-
ctum, ut terrore pœnarum esset exstimulandus,*
satis

tentiæ vehementer obluetabatur; Quin-
que ecclesiensis Episcopus, qui prolixius
perorans demonstratum ibat, quod ab
octnigentes abhinc annis Præsules non
nisi maximo emolumento sese profanis
negotiis ingesserint, indeque in Eccle-
siam æque, ac regna amplissimus honor,
utilitasque redundarit, ut proin usus
per tot sæcula stabilitus damnari haud
posset.

Sæc. XVI.
A.C. 1562.

§. LXVI.

*Nuceriensis Episcopi oratio circa
residentiam.*

Absoluta hac oratione Paulus Jovius
Nuceriensis Episcopus hunc in mo-
dum differebat: *Synodus convocata est
ad plagam ingentem, nempe deformationem
Ecclesiæ sanandam: omnibus est persua-
sum, hujus mali causam esse Præsulum ab
Ecclesiis suis absentiam; verum id, uti ab
omnibus affirmatur, ita vix satis a quo-
vis forsitan expenditur, ac consideratur:
verum non est prudentis medici de causa
morbi tollenda agere, nisi primum eam
probe cognoscat. Insuper, an non ea sub-
lata, majora mala secutura sint, ac-
curate*

Sarpinus l.c.

*satis fuisse prospectum per impositas a Concilio
sub Paulo III. pœnas, & per recentem constitutio-
nem sedentis Pontificis. Id nec quidquam amplius
habetur in hoc genere in Bernardi sententia.*

Sæcul. XVI. A.C. 1562. curate prævidere oportet, certe si absentia
Præsulum corruptelis, quæ irrepsertunt in
Ecclesiam, causam dedisset, minus defor-
mitatis in Ecclesiis illis deprehenderetur,
 in quibus nostro sæculo proprii Præsules
 perpetuo resedisse animadvertuntur: jam
 Summi Pontifices centum annos assiduo
 commemorantes Romæ nihil omiserunt, quod
 ad populum studiosissime instruendum per-
 tineret: ea tamen Urbs nihilo melius in-
 stituta reperitur, atque omnino regni cu-
 jusque Metropoles, in quibus fere Præsu-
 les sedes suas figunt, sunt præ aliis de-
 formitate notabiles, & contra miseræ a-
 liquot Urbes, quæ a centum annis Epif-
 copum suum non adspexerunt, vitiorum
 sordibus minus sunt corruptæ: præterea
 inter Antistites Seniores, qui adsunt, &
 in Ecclesiis suis perpetuo hæserunt (sunt e-
 nim ex his nonnulli,) nemo potest dicere
 Dicecesin a se melius constitutam, quam
 sint vicinæ Episcopis destitutæ: porro is,
 qui istiusmodi Ecclesias dicit greges sine
 Pastore, is pensi non habet, etiam Paro-
 chos, ac non solum Episcopos, curam ge-
 rere animarum: interim de solis Episco-
 pis verba sunt, quasi nusquam fideles Chri-
 stiani esse possint, nisi ubi sunt Episcopi,
 & tamen in ipsis montibus, in quibus E-
 piscopus nunquam visus, Ecclesiæ reperiu-
 tur, quæ civitatibus Episcopalibus exem-
 plo præire poterunt. Hinc Patrum, qui

in prima Synodi convocatione intersue- Sæcul. XVI.
 runt, & zelus laudandus, & actiones i- A.C. 1562.
 mitandæ, qui pœnarum interminatione Præ-
 sules excitatum ibant ad Ecclesias suas
 frequentandas, & principium dederant tol-
 lendis impedimentis, quæ absentie dant
 causam: neque tamen permittendum, ut
 ea spes nos fallat, quasi in hac residentia
 posita sit Ecclesiæ reformatio, sed potius
 metuendum, ne, uti nunc remedia quærun-
 tur ad stabiliendam Prælatorum residen-
 tiam, ita posteris incommodis inde prove-
 nientibus sapientiores facti, remedia ad ab-
 sentiam denuo invehendam sint quæsituri, hinc
 non quærenda sunt vincula adeo robusta,
 quæ, ubi opus est, dissolvi nequeunt, cujus
 generis foret jus illud divinum, quod nunc
 post mille, & quadringentos annos tenta-
 tur. Episcopus perniciosus, qualem vidi-
 mus Coloniensem, hujus doctrinæ effugio
 latebras sibi quæsiturus est ab obedientia Pon-
 tificis, si vel ad rationem actionum red-
 dendam citabitur, vel a grege suo procul
 facessere jubebitur, ne præsentia sua ma-
 lum alat: ego quidem agnosco, quod Præ-
 sules, qui articulum determinatum volunt,
 abundant zelo: sed credo etiam, quod non-
 nulli velint ejus beneficio uti, ad se ab o-
 bedientia Pontificis subducendos: quæ quo
 arctior est, hoc magis unitam teneat Ecclē-
 siam: iis vero hoc instillatum cupio, quic-
 quid in eo genere operentur, id Parochis
 usui

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

usui futurum, ad ipsos ab Episcoporum imperio eximendos, nam si articulus hic obtineat, confestim dicent illi, Episcopum nec posse ipsos ab Ecclesia dimovere, nec potestatem ipsorum reservationibus restringere; quin imo iidem tanquam Pastores immediate a Deo dati, plus juris in gregem, quam ipsis Episcopis concedent, vindicabunt (*).

§. LXVII.

(*) Sarpium, qui hanc Jovii orationem exhibet, idem Pallavicinus his verbis castigat: *Sententia Jovii ad me non pervenit, non tamen Suavem abire sinam absque merita correctione, quod ipse cursim, ac studiosa negligentia de illo refert: id non esse definiendum, propterea quod vera malorum in populo causa non erat Episcoporum absentia, quandoquidem liquebat, Pontifices jam centum ipsos annos continenter Romæ perstitisse, Et exquisito studio populum probe erudiendum curasse, nec tamen melius moratam eam urbem conspici, quibus obliquis verbis mordentur Romani Pontifices, tanquam infructuosi bonis moribus illius etiam Urbis, in qua continuo ipsi resident: profectio si Jovius ita differuisset, crassam indicasset oblivionem querelarum, quibus conquesta est non inquam Roma, sanctive illius ætatis viri, sed universa Italia, Et quicumque ibi mortalium scintillam pietatis obtinebat, absentiam Romani Pontificis*

§. LXVII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Variae Patrum opiniones circa hunc articulum.

Plures adhuc aliæ hanc in rem proferebantur sententiæ, & quidem nonnulli probare contendebant, quod omnia hucusque mala ob Prælatorum absentiam in Ecclesiam fuerint inuenta, cum defuerint, qui lupos ab ovium invasionibus arcerent: si vero nunc residentiam juris divini esse statueretur, tunc Episcopi hanc legem, quam non ex hominum arbitrio, sed Dei præcepto descendere cognoscent, transgredi minime audebunt: eapropter ipsemet Apосто-

Pall. l. 16.
c. 4 n. 11. 12.
Et 13.

Pontificis, cum Avenione morabatur, & funesta mala, quæ idcirco contraxerat augusta illa Urbs, ac generosa Provincia, nondum trium sæculorum labore omnino reparata: quidnam aliud illam adeo intaminatam in fide Catholica conservavit inter tantam propinquitatem, communicationemque regionum corruptarum, inter tam crebras excursiones militum hæreticorum, inter tam apertum aditum confugii ex una in aliam ditionem, ob suorum principatum divisionem, inter tantum acuminis, & curiositatis in ingeniis sibi fidentibus, & avidis novitatis, nisi Pontificum præsentia, & vigilantia?

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

postolus Paulus, ut gravius mandatis suis pondus adderet, interdum utitur conspicuis illis vocibus, *Non ego, sed Dominus* id præcipit vobis: ex adverso contendebant alii, quod tunc, si residentia jure divino præcepta definiatur, hæc lex quadam declaratione, atque exceptione circumscribenda foret, adeo, ut statuatur, interdictam a Deo fuisse voluntariam Episcoporum absentiam ab Ecclesia, non autem necessariam, seu ex legitimo impedimento, aut justo Superioris sui præcepto profectam, cum perperam ita argueretur: residentia est a Deo imperata: ergo non licet Pontifici Pastores extra suas Diœceses evocare? cum id sane perinde valeret, ac si hoc pacto quis concluderet: conjunctio viri cum uxore a Deo præcepta est: non licet igitur Principi procul ab uxore Maritum ad Regiones etiam externas mittere, vel ad exequenda hujus Principis mandata, vel ad ditionis suæ utilitatem, insuper addebant: „si Patres „nunc vellent statuere, cujus esset juris „Pastorum mansio, socordix damnarentur cunctæ veteres Synodi, quæ tam „multiplici studio prospexerant, ne Pastores ovilia desererent. & tamen articulum illum ab Ecclesiæ primordiis „ad eam usque diem non in quæstionem nedum ut fidei articulum declarare „rare

„rare ausi fuere, nec unquam statue- Sæcul. XVI.
 „runt, quod summi Pontificis iussa, qui- A.C. 1562.
 „bus aliquem Episcopum a sua Diœcesi
 „evocat, legi divinæ adversentur. „
 Ceterum cum ex hac opinionum diverfi-
 tate nonnisi majores adhuc in confessu
 tumultus, ac contentiones orirentur,
 hinc hæc quæstio decisa non fuit.

§. LXVIII.

*Quidam a Legatis Romam missus
 ad explorandam Pontificis
 mentem.*

[nterea Legati Fridericum Pendasium *Pallav. c. 4.*
 Cardinalis Mantuani familiarem Vi- ⁿ 15.
 rum in Philosophicis, ac Theologicis *Sarp. p. 479.*
 disciplinis versatissimum, ut Synodi sta-
 tum summo Pontifici exponeret, Romam
 ablegabant, præcipue vero is de emenda-
 tionis negotio agere tenebatur: quam
 in rem ei in mandatis fuit datum,
 ut hæc Pontifici significaret; „animad-
 „verterunt Legati jam tum ab initio,
 „dum Tridentum venerant, Patrum ani-
 „mos, ac vota conversa prorsus esse
 „ad disciplinam vere, sincere, ac reipsa
 „reformandam: hinc iidem illam tan-
 „quam unicum sperant remedium ad
 „tollenda Fidei dissidia, quæ per decre-
 „ta, ac definitiones sanari non posse vi-
 „debantur: plura quidem fuere uber-
 „tim

Sæcul. XVI.

A C. 1562.

„tim definita in prioribus cœtibus sub
 „Paulo III, & Julio III, sed absque fru-
 „ctu; quoniam emendationes statutæ,
 „nimium debiles, ac tenues fuerant
 „pro morborum gravitate, & morta-
 „lium expectatione, præsertim cum hæ-
 „ipsæ non debito modo executioni da-
 „rentur, hinc illarum imbecillitati tri-
 „buebantur hæresis incrementa: po-
 „stea quo major illuc accesserat Patrum
 „frequentia, eo magis integræ emen-
 „dationis persuasio excreverat, nec dee-
 „rant quoque tamen, qui in vulgus spar-
 „gere, atque aliorum animis inferere
 „auderent, quod non possint confici di-
 „sciplinæ leges, quæ constantes, ac fir-
 „mæ forent, nisi Romæ tribunalia cor-
 „rigerentur, ac seriæ reformationi ma-
 „nus admoveretur.

§. LXIX.

*Mandata huic Deputato data.**Pall. n. 18.*

Insuper hæc Fridericus addere jubeba-
 tur: „Volunt equidem Patres inta-
 „ctum relinquere, quidquid e mente
 „Pontificis proxime proveniret; petunt
 „tamen novas leges extendere ad Car-
 „dinales, & in omnes illius aulæ magi-
 „stratus, de quibus acriter nonnulli
 „queruntur: capita vero, quorum hæ-
 „tenus mentionem fecerunt sunt, Epif-
 „copatum, & beneficiorum collationes,
 „eorum

„eorum præsertim, quibus dignitas, & Sæcul. XVI.
 „animarum cura adnectitur: insuper A. C. 1562.
 „Patres de crebris, ob quas complurium
 „crimina relinquuntur impunita, provo-
 „cationibus, ac de nimia Nunciorum
 „auctoritate, & de pluribus aliis con-
 „queruntur: flagrantissimum ergo de-
 „siderium ab illis præsefertur, ut re-
 „bus consulatur per ea decreta, quæ o-
 „lim Paulo III. a quibusdam Viris ab
 „illomet ad hoc selectis proposita, &
 „postea typis vulgata fuerant cum va-
 „riis adversariorum commentis, mul-
 „tisque in Apostolicam Sedem calu-
 „mniis: idcirco Legati opportunum fo-
 „re censent, ut Pontifex ipsis significet
 „cuncta simul capita, de quibus deli-
 „berandum in Concilio sibi videatur,
 „ut ea ponderare, discutere, ac in va-
 „riis Sessionibus promulgare valeant,
 „hocque pacto dissipentur eorum obtre-
 „ctationes, qui spargunt, quod omnia
 „decreta jam prius plene Romæ confe-
 „cta tandem Tridentum mittantur ibi-
 „dem duntaxat promulganda.

Eadem occasione Legati ad sum-
 mum Pontificem transmittabant scri-
 ptum quoddam, in quo nonaginta quin-
 que articuli a pluribus Episcopis, a-
 liisque Viris probis propositi contine-
 bantur, quin tamen illic mentio fieret
 postulati, ut residentia tanquam jure

Sæc. XVI. AC 1562. divino præcepta declararetur: præterea Legati exponebant, ex pluribus indi-
 ciis conjici, Tridenti avide expectari Gallos, qui in hisce controversiis consensuri essent cum Hispanis, & cum his pariter Lusitani, & Cæsarei Oratores, & ex Italis complures, ut proinde aut numero potiores evaderent, aut publicæ offensionis foret, si Decreta sancirentur ab unica natione, cunctis reliquis per suos Præsules contradicentibus, videlicet orbe christiano fere universo.

§. LXX.

Quædam propositiones Synodi Patribus a Legatis factæ.

Pallav. n. 16.
Sarp. p. 479 **C**um propter opinionum diversitatem circa articulum de residentia tantopere agitatum nihil certi decidi posset, hinc Legati in quodam confesso die vigesima Aprilis habito congregatis hanc propositionem prælegi jufferunt: „dum „multi Patres dixerunt, declarandum „esse, an mansio sit juris divini: alii tamen de hoc verba non fecerunt, alii „negarunt ad hanc declarationem deveniendum eo ex capite, ut Patribus „ad formanda Decreta seligendis liceat „ea sincerius formare, hinc Patres suam „desuper sententiam proferant per verbum *placet*, aut, *non placet*, ut sic declararent,

„rent, an petant, ut definiatur mansio
 „esse juris divini, atque hac ratione pro
 „majori suffragiorum, ac sententiarum
 „numero digeri possint decreta juxta
 „morem in hac sacrosancta Synodo sem-
 „per usitatum; cum autem suffragio-
 „rum numerus in præsentia propter
 „sententiarum, quæ prolatae sunt, va-
 „rietatem haud videatur liquido con-
 „stare, eapropter Patres tam clare, ac
 „tam distincte loquantur, ut eorum sen-
 „tentiæ perscribi facile possint.„ Hoc
 consilium studiosissime occultarunt. Le-
 gati, ne ii, qui adhuc, cui sententiæ fa-
 verent, dubii hærebant, cum ceteris con-
 ferre possent. Verum suscepto Lega-
 torum consilio omnino contraria res
 evenit: Patres enim improvisa, mole-
 staque mentem suam aperiendi necessi-
 tate obruti palam querebantur, perin-
 de ac si ipsis vis inferretur, vel Syno-
 do libertas adimeretur, quinimo Patres
 ægre placari poterant, quamvis Legati
 validis rationibus eos convincere ni-
 terentur.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1562.

§. LXXI.

*Plurium sententia de residentia ex jure
 divino necessaria.*

Madrutius Cardinalis, qui primus
 verba fecerat, se priori suæ senten-
 tiæ immote adhæsurum affirmabat,

*Pallav. n. 20.
 Sarpus l. c.
 Raynald. hoc
 ann. n. 41.*

li 4 quam-

Sæcul.XVI. A.C.1562. quamvis autem Augustinus egregius
Jurisconsultus eum a sua opinione re-
move ad ductis rationibus niteretur,
frustra tamen laborabat: porro hujus
Cardinalis exemplum plures alios ad i-
mitationem inducebat, unde dissiden-
tium studia magis adhuc fervere cæ-
perant: Legati igitur veriti, ne Patres
in duas factiones scinderentur, præce-
perunt, ut Patres sua ferrent suffragia,
hancque in rem præter Massarellum,
qui Synodo a secretis erat, adhuc Je-
rosolymitanum Patriarcham, & Gra-
natensem Archiepiscopum, qui suffragia
colligerent, nominabant, eo fine, ut res
majori securitate æque, ac auctoritate
firmaretur: itaque ex omnibus Patri-
bus, ex quibus Synodus constabat, e-
rant sexaginta octo, qui hunc articulum
omnino definiri postulabant: illi autem,
qui sese huic opinioni opponebant, in
diversas scindebantur sententias; quip-
pe eorum triginta affirmabant, quod
sibi placeret articulum definiri, dummo-
do prius Pontificis consensus obtinere-
tur: alii vero ferme totidem numero
dicebant, quod in hunc articulum nun-
quam consensuri essent, saltem nisi
prius mens Pontificis explorata habe-
retur: igitur horum omnium suffragia
a Massarello Secretario alta voce præ-

præleguntur, atque a singulis, qui suas Sæcul. XVI.
opiniones tuebantur, fuere comprobata. A. C. 1562.

§. LXXII.

*Pontificis sententia de hoc articulo
tanquam juris divini non de-
cidendo.*

In hac eadem congregatione plura ad-
huc alia circa hanc quæstionem pro- Pall. c. 3. n. 1.
ponebantur argumenta, cum autem
crebræ exinde orirentur tricæ, hinc Le-
gati, quid consilii caperent, dubii hære-
bant, præcipue cum sibi persuasum
haberent, quod hunc articulum defini-
ri Papa nollet, uti Florentiæ Orator ad
Ducem suum Dominum perscripserat,
hæc significans: „inter eos, qui hujus
„quæstionis definitionem exoptarunt,
„ferme omnes erant ex nationibus ab I-
„talica distinctis, præsertim cum a mul-
„tis ea censeretur efficacissimum adju-
„mentum ad collapsam disciplinam re-
„parandam, ut proinde, si Pontifex
„illam rejiceret, linguas obtrectatorum
„vellicaret, vociferantium, Ecclesiæ re-
„stituendæ, ac reformandæ partibus i-
„psum deesse: contra vero si declaratio-
„nem eligeret, non levia id dignitati
„suæ damna, atque incommoda affer-
„ret. „ Ferme eadem Insulanus Fran-
siæ Orator Roma ad Regem suum die

Sæc. XVI.
A C. 1562.

Mem. pour le
Conc. de
Trente 1694.
p. 182.

fexta Maji perscripserat: „ Petebant
„ plures, inquiebat ille, circa articulum
„ de residentia in proxima Sessione de-
„ cretum fieri: alii vero partim huic o-
„ pinioni adversabantur, partim totam
„ rem Sanctitatis suæ judicio committe-
„ bant; nam hunc articulum in grave
„ summi Pontificis, Curiaëque Romanæ
„ præjudicium cedere existimant non-
„ nulli, dicentes, quod exinde Episcopo-
„ rum dignitas, atque auctoritas pluri-
„ mum augetur, cum illi hac ratione,
„ prout fertur, obtinere nitantur, ut libe-
„ re omnia suarum Diocesium benefi-
„ cia conferre valeant: quinimo ex Hi-
„ spaniæ Præsulum animositate, impor-
„ tunisque precibus colligitur, quod Sy-
„ nodus ad eorum partem semper ma-
„ gis, magisque inclinet, adeo, ut Sancti-
„ tas sua nonnunquam horum vocifera-
„ tiones moleste ferat, ac valde perple-
„ xus hæreat ob querelas, quæ ad eam
„ nuper ab illis delatæ fuerunt; que-
„ rebantur enim illi, quod omnia Syno-
„ di negotia prius Romæ deciderentur,
„ ac Tridenti libertas aperte violaretur.,
Denique his addidit, „ intra triduum
„ a die vigesima nona præteriti Mensis
„ Sanctitas sua jam quinta vice hac su-
„ per re Cardinalium suorum Senatam
„ habuit. „

§. LXXIII.

§. LXXIII.

*Legatorum difficultas in decidenda
hac quæstione.*

Sæc. XVI.

A.C. 1562.

Id, quod Legati hac in re proponebant, neutri parti placebat; nam hi, qui hujus articuli declarationem rejiciebant, querebantur, quod per eam improvisam percontationem in quæstione tam ardua voluissent Concilium ad abortum adigere, foetum maturescere haud permit- tentes illi: hi vero, qui oppositam sen- tentiam tuebantur, cum suorum suffra- giorum nullam haberi rationem cerne- rent, damnabant rationes, quæ ad re- jiciendam eorum opinionem affereban- tur: nec defuerunt ex Patribus non- nulli, qui novam Congregationem a Le- gatis indictam sinistre interpretabantur, palamque dicebant, quod consilium ad rem facilius conficiendam susceptum, quamdam quasi artem illius impediendæ præferat, præcipue cum Patres sat clare locuti sint in superioribus cœ- tibus, & a Legatis indicta nova suffra- giorum collectio non eo tendat, ut sen- tentiæ clarescerent, sed revocari, atque in nihilum redigi possent.

Insuper Eustachius Bellajus Pari- siensis Episcopus die decima quarta A- prilis Tridentum delatus, vehementer se mirari ajebat, quod Episcopi non modo

*Pall. t. 5. n. 2.**Lib. Orat.**Flor. ad**Cosmum die**23. April.**1562.*

Sæcnl. XVI.
A.C. 1562.

modo Synodum convocandi, congregandi, & confirmandi potestatem in summo Pontifice vereantur, sed etiam eidem præmissis Patrum decisionibus definiendi auctoritatem attribuant: porro id ipsum cum Parisiensi Episcopo sentiebat Miglitius Pragensis Archiepiscopus, qui hæc effatus est: „Patres ad firmam „morum emendationem parum propen- „sos esse, vel ex eo colligitur, quod eo- „rum potissimi residentiam ex jure di- „vino præceptam definiri petentes, nunc „illius articuli decisionem Pontifici, „quem æque, ac suorum Prædecesso- „rum potissimos adversæ esse sententiæ „noruut, remittere cogitent: si vero „Pontifici omnia decreta semel stabili- „tati auctoritas relinquitur, peni- „tus Synodo libertas adimi videtur. „ Eadem quoque consilia hic Præsul Cæ- sari inspirabat; hic enim Princeps datis ad suos Legatos literis perscribebat, quod possit ex eo argui, quam remis- so animo sint Patres ad reformandam Ecclesiam, & quam exili libertate iidem in hac Synodo potirentur. Hæc Mil- tizii temeritas pluribus displicebat Episcopis, atque ex illis unus eidem re- spondit moderata quidem, sed pondero- sa ratione ab eo postulans, ut majorem in loquendo tam celebris confessus ra- tionem haberet; insuper eidem ostendit,
liber-

*Epist. Cæs. ad
Orat. Pragæ
9. Maji 1562
apud Pallav.
l. c.*

libertate sua neutiquam spoliari eos, qui in rebus arduis, & malignis ob contrarias inter se rationes, ac sententias sponte confugiunt ad illius iudicium, quem Deus universæ Ecclesiæ rectorem constituit, cum idem nonnunquam usurpetur in comitiis, ac Conventibus erga suos Principes, ac Magistratus.

Sæc. XVI.
A. C. 1562.

§. LXXIV.

Mala ex Patrum dissidiis exorta.

Ferventibus hisce dissidiis Legatorum primus gravissimis verbis Patres monerat, ne dissidia in hoc conventu fuscitata divulgarent, nec exiguam, qua hucusque in disputationibus usi fuissent, moderationem in vulgus spargerent; porro hæc verba adeo Patrum nonnullos commovebant, ut in exitu e confesso calamitosa illa, ac nimis fervida dissidia lacrymis deplorarent, cupidissimi ea occultandi, cum facultas ipsis deesset illa impediendi: nihilominus dissidii rumor brevi per universam Tridentinam urbem volabat, sparsisque per omnia Regna literis haud parum ingens illa, quæ prius de hoc Concilio habebatur, existimatio, spesque imminuebatur: quinimo non deerant, qui comminiscerentur, perinde acsi Mantuanus, & Seripandus Cardinales suam industriam, auctoritatemque impendissent ad emen-

Pallav. c. 5.
n. 4. & 5.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562

emendicanda suffragia declarationi fa-
ventia, cum ambo residentiam esse ju-
ris divini propugnarent: Cardinalis quo-
que Simonetta, fingeant alii, cum op-
positam teneret sententiam, variis quo-
que actibus sibi aliorum suffragia con-
ciliabat: paulo tamen honestius loque-
bantur de Warmiensi, & Althempso
Cardinalibus, atque illum duntaxat
tanquam Virum in politicis rebus mi-
nus versatum, hunc vero ob juvenilem
ætatem experientia rerum destitutum
carpebant. Ceterum omnes rem silen-
tio tegendam esse censebant, ac suam
quisque opinionem tueri, scopumque
attingere quærebat, quin tamen aperte
mentem suam, vel ullus panderet: unde
ingens inter eos dissensio nascebatur.

§. LXXV.

*Patrum sententiæ circa Ordinationes
ad titulum Patrimonii.*

Sarp. hist.
Conc. Trid.
l. 6. p. 472.
§ 476.

Cum Patres, priusquam Papæ respon-
sum haberetur, hac super re nihil
decidere vellent, interea Legati cete-
rorum articulorum examen prosequen-
bantur, quod in Congregatione die nona
Aprilis, necnon in aliis conventibus
jamjam inchoatum fuerat, hancque in
rem Patrum nonnulli, qui decreta con-
ficerent, nominabantur: igitur circa
secundum articulum præprimis move-
batur

batur quæstio, an illos, qui de beneficiis provisi non sunt, a sacris ordinibus arcere consultum videatur, atque abolendæ sint ordinationes, quæ ad Patrimonii titulum fiunt? Hac super re Patres in diversas abiere sententias; nonnulli enim dicebant: „si deciditur, residentiam esse de jure divino, ac singulis, quod sui muneris est obeuntibus, Ecclesiis adeo plene, perfecteque providebitur, ut nullus sit futurus usus Clericorum beneficiis non gaudentium, nec ulla necessitas Sacerdotes inaugurandi ad patrimonii, aut ad alium titulum, quinimo omnibus incommodis consultum ibit: nam cessabunt insuper omnes ejusmodi abusus, nec inter Clericos erit aliquis hebes, aut otiosus, unde innumera mala, & exempla perniciofa manare solent, nec quis invenietur mendicus, aut ad exercenda vilia officia necessitate adactus: insuper liquido constat, quod nulla sit commoda Reformatio, nisi ea, quæ res ad principium, unde deflexerunt, revocet: Ecclesia autem antiquitus tot sæculis summopere floruit; hac ergo sola via integritas pristina repeti poterit. Ceterum aliorum opinio erat hæc: aditus ad sacros Ordines propter egestatem nemini vetetur, qui vitæ probitate, aut idonea litera-

Sæcul. XVI.
A C 1562.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

„literarum cognitione eos promeretur;
 „pauperes enim in Ecclesia primitiva
 „exclusi non fuerunt, neque Ecclesia
 „ab eo unquam abhorruit, ut Clerici,
 „ac Sacerdotes manuum suarum la-
 „bore vitam sustentent: si quis vero
 „putet, quod egestas rapinæ, ac aliis
 „delictis causam det, is re bene pen-
 „tata reperiet, quod ejusmodi scelera
 „a locupletibus citius, quam a tenuio-
 „ribus patrentur, atque avaritia ma-
 „gis impotens, atque indomita sit, quam
 „paupertas, quæ laboriosa æque, ac
 „negotiosa, male agendi occasiones pro-
 „cul habet: porro inter bonum, & pau-
 „perem bene convenit, sed bonus, &
 „otiosus male cohærent: fatius ergo
 „est severissimo edicto præcipi, ut Viri
 „probi, & eruditi etiam absque ullo
 „titulo ordinentur: cessat enim in præ-
 „sens causa, cur antiquitus illud pro-
 „hibitum, nam eo tempore ordinati
 „cum titulo, seduli fuerunt in functio-
 „nibus Ecclesiasticis exercendis, & æ-
 „dificationis Ecclesiæ studiosi; ceteri
 „vero, quippe otiosi, offendiculo fue-
 „runt; contrarium vero hodie obtinet,
 „ordinatis cum titulo plurimum mini-
 „steria Ecclesiastica dedignantibus, at-
 „que otio diffluentibus; cum interea
 „egeni functiones Ecclesiasticas so-
 lenter

„clerter abeant, suisque fidelibus bono
 „exemplo praeluceant.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1562.

Verum neutra horum sententia om-
 nibus probabatur, sed alia potius pro-
 ponebatur: dicebant enim alii: „ille
 „jam receptus mos neminem ordinandi
 „sine titulo, aut beneficii Ecclesiastici,
 „aut patrimonii ad victum idonei ho-
 „diedum obtinet, ne Sacerdotes cum
 „summa Sacri Ordinis contumelia men-
 „dicantes deprehendantur: quapropter
 „ad prævertendas fraudes, ac corru-
 „ptelas fanciatur, ut omnem Episco-
 „pus adhibeat diligentiam, ne patri-
 „monium, ad quod Clericus ordinatus
 „fuit, alienetur., Sed ab eo, inquit
 Paulus Sarpinus, longe diversum sentiebat
 Gabriel le Veneur Gallus, Episcopus Vi-
 variensis, affirmans, patrimonium clerico-
 rum esse quid seculare. Nihilominus prior
 illa opinio fuit approbata, moxque per-
 spiciemus, quod hanc in rem postea
 decretum fuerit promulgatum.

§. LXXVI.

*Articulus de nihil solvendo pro Ordi-
 num collatione.*

Pariter tertius discutiebatur articulus **Sarpinus**
 in quo statuebatur, ne Episcopis,
 nec eorum Ministris quicquam pro Or-
 dinum collatione soleretur, & con-
 traria corruptela eradicaretur, porro

Hist. Eccles. Tom. XLIV. Kk circa

Sæcul. XVI
A.C. 1562.

circa decretum de super condendum diffi-
milis personarum conditio diversas e-
tiam pariebat opiniones; Episcopi enim
prædivites, si quid per se ultro, aut
per Officiales, aut Notarios accipere-
tur, id damnabant ut sacrilegum, ac
simoniacum: ex adverso Episcopi pau-
peres tum in Synodo præsentibus dona
sponte oblata ab illis, qui sacris Ordi-
nibus initiantur, accipi posse contende-
bant, ita perorantes: „Sicuti sacrile-
„gus merito censendus est, qui pretio
„ordines divendit; ita is, qui eleemo-
„synam a Christo tantopere commet-
„datam aufert, charitatem everteret:
„eadem enim omnino ratio in ordina-
„tionibus militat, quæ in confessioni-
„bus, Missis, sepulturis, aliisque Ec-
„clesiasticis functionibus obtinet: nihil
„autem est causæ, cur vetari debeat,
„ne in illis magis, quam in his, quid-
„quam ultro detur, aut accipiatur,
„nam quod de eleemosyna etiam aliis
„temporibus elargienda objicitur, ad
„alias non minus functiones pertinet:
„ab antiquissimis vero temporibus con-
„suevit Ecclesia oblationes, & eleemo-
„synas his occasionibus accipere, qui-
„bus sublati, inopes Religiosi, qui
„inde victitant, ad victum aliunde quæ-
„ritandum necessitate cogentur: in-
„diciis autem manifestis constat, &
aquin-

„a quingentis annis compertum habe- Sæcul. XVI.
 „tur, divites ministeria Ecclesiastica A C. 1562.
 „non obituros: porro tali modo Reli-
 „gionis exercitium sensim interiret, &
 „populus cultu religioso destitutus, in
 „impietatem, & diversas perniciosas
 „superstitiones migraret: ceterum ut
 „extra ipsum Ordinationum argumen-
 „tum non egrediamur, si reprehensione
 „vacat, quod propter *pallia*, quæ a
 „sede Apostolica dantur Metropolitanis,
 „etiam millia aliquot aureorum depen-
 „dantur, cur Episcopo vitio vertatur,
 „ab iis, qui sunt ordine inferiores, ali-
 „quam grati animi testificationem ac-
 „cipere? aut quare de iis, quæ sunt
 „ejusdem generis, non diversæ tantum,
 „sed & contrariæ leges sanciantur?
 „nam etiam in Pontificali proditum
 „est, quod in Ordinationibus, dum in
 „peragenda re divina ad oblationes ve-
 „nitur, cerei, qui tamen sunt res se-
 „culares, Episcopo ordinanti ab Ordina-
 „tatis offerantur: quibus tamen vel
 „numerus, vel apparatus, pretium, &
 „æstimatio potest addi: quapropter id,
 „quod in pauperibus Episcopis repre-
 „henditur, non est adeo odiosum, neque
 „indecens, ut cum ejus ordinis infamia
 „alii laudem sibi arrogent reformatorum,
 „verius Pharisæorum imitatores, dum
 „*festucas observant, ipsi excolantes culicem* : „

Sæcul. XVI. ceterum nonnulli dicebant, quod ar-
A. C. 1562. tculus hic non possit decerni, cum con-
 trarius sit Decreto Innocentii III. Pon-
 tificis in Concilio IV. Lateranensi Oe-
 cumenico, in quo non solum probatur
 consuetudo ultro dandi, & accipiendi
 quiddam temporale in administratione
 Sacramentorum, sed præcipitur etiam
 Episcopis, ut censuris, & pœnis Eccle-
 siasticis populum adigant ad eam con-
 suetudinem observandam, addito etiam
laudabilis encomio iis, quæ nunc sicut
 impia, & sacrilega damnantur.

Attamen Dionysius natione Græ-
 cus ex ordine S. Francisci Episcopus
 Milopotamensis longa digressionem excur-
 rens hunc in modum perorabat: „de-
 „betur quidem Ecclesiasticis victus, &
 „præterea quiddam in subsidium, sed
 „huic satis, superque est provisum de-
 „cimarum assignatione; Clerus enim,
 „etsi decimam populi partem non con-
 „stituat, grandem tamen portionem
 „accipit, præter alia bona, quæ duplo
 „plura possidet: quare iniquum vide-
 „tur, illud adhuc exigere, cuius jam
 „centuplum accepit: si vero conten-
 „dunt, esse pauperes Episcopos, tunc
 „respondéo, quod id non arguat Ec-
 „clesiæ egestatem, sed opes ejusdem
 „non æquis portionibus divisas: justa
 „enim, & legitima distributione insti-
 tuta

„tuta, adeo abunde omnibus provisum
 „foret, ut operam suam libere impen-
 „dere deberent, quin quidquam præter
 „id, quod aliunde debitum est, acci-
 „pian. His propositis fatebatur, quod
 „non sit adeo facile tam multos abusus
 „eodem momento auferre, sed ab Ordi-
 „nationibus commode posset sumi refor-
 „mandi initium, ita tamen, ut non ad
 „solam conferendi Ordinis actionem
 „hæc emendatio restringatur, sed ad
 „alia, quæ actionem eam antecedunt,
 „etiam extendatur: in magnum enim
 „dedecus cedit, quod Clericus, qui
 „ab alio Episcopo, ubicunque placue-
 „rit, initiari petit, literas dimissoria-
 „les a Cancellariis Episcopatum pe-
 „cuniis sibi acquirere, aut facultatem,
 „vi cuius extra præscriptum tempus
 „ordinetur, Roma magno pretio com-
 „parare teneatur: hos ergo abusus
 „emendandi cura suscipiatur., Equi-
 „dem hæc de dimissorialibus, ut vo-
 „cant, Episcoporum literis opinio mul-
 „tis fuit accepta, quoad alterum vero de
 „facultatibus Roma quæsitis Cardinalis
 „Simonetta monuit, quod ad Synodi co-
 „gnitionem id non pertineat, sed Pontifex
 „de ea re sit prospecturus. Postmodum
 „de mercede Episcoporum Secretariis,
 „& Notariis Apostolicis, qui concessi Or-
 „dinis diplomata, vel alias literas con-
 „ficiunt,

Sæcul. XVI.
 A.C. 1562.

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

ficiunt, debita agebatur, ubi alii, quod hæc munia sint profana, putantes, quicquam recipere, aut exigere ipsis prohiberi non posse censebant: econtra autem alii illud munus esse Ecclesiasticum existimantes affirmabant, quod haud liceat quicquam accipere: demum Antonius Augustinus Episcopus Herdensis rerum antiquarum peritia, necnon jurisprudentia clarus dicebat: „ in Ec-
„clesia veteri ministri in conspectu totius
„populi ordinati fuere, ut diplomate, aut
„literis testimonialibus opus non esset:
„insuper tunc temporis uni titulo, sive
„beneficio addicti Diœcesin non mu-
„tabant: si vero forte negotii causa
„alio proficiscendum esset, ab Episcopo
„litteras impetrarunt, quæ tum *formatæ*
„dicebantur: testimonialium vero lite-
„rarum usus, ex quo populus Ordina-
„tionibus intervenire desiit, & clerici
„vagari, ac discurrere cœperunt, ad
„supplendam populi præsentiam fuit
„introducendus: itaque Episcopalis Secre-
„tarii officium pro sæculari munere du-
„cendum est: cum tamen rei in mate-
„ria spirituali sit annexum, cum mode-
„ratione exercendum venit, hinc mer-
„ces quidem Notariis concedenda est,
„sed certis limitibus circumscripta, ac
„moderata., Verum hæc quæstio non-
nisi

nisi in Sessione vigesima prima fuit ^{Sæcul. XVI.}
decisa. ^{A. C 1562.}

§. LXXVII.

*Distributiones quotidianæ pro
Canonicis.*

Quarto capite proposita fuit quæstio de præbendis, & distributionibus Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiatarum, in quibus Canonici sunt, vel Capitulum habetur: equidem Canonici olim una omnes communi mensa, ac sumptu ad instar Monachorum Regularium victitabant, vel seorsim, aut in pecuniis, aut in annona unicuique singulis diebus necessaria distribuebantur, cum autem hæc distributio fieret absoluto divino ministerio, cui omnes horis per Canones præceptis interesse iubebantur, hinc horæ ejusmodi precibus præstitutæ appellabantur *Canonicales*: illi autem Ecclesiastici, qui sub præfatis horis Divina hæc officia persolvebant, *Canonici* appellabantur: Verum hæc pecuniarum, ac annonæ distributio exiguo tempore in usu erat, eique subrogabatur divisio reddituum, e quibus cuilibet Canonico sua assignabatur portio, quæ portiones postea *præbendæ* appellari consueverant: porro hæc distributiones fiebant eo tempore, quo Canonici divino intererant officio, inter

Sæcul. XVI. A.C. 1562. absentes enim nihil fuit distributum: postquam vero Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum proventus in præbendas fuerant divisæ, quilibet suam accipiebat portionem, etiamsi divino officio non interfuisset, unde Canonici in adimplenda muneri sui ratione magis socordes reddebantur: igitur horum negligentia remedium opponere, Patres erant solliciti. Ceterum distributiones quotidianas dandi consuetudo adhucdum in quibusdam Ecclesiis retinebatur: in quibusdam vero locis adeo erant tenues, ut earum spes Canonicos ad hoc, ut divinis officiis assiduo interessent, parum alliceret: ea propter de augendis ejusmodi distributionibus agebatur, ut frequentior esset ad Dei cultum accessus, quinimo horum, qui Divino officio non assistebant, negligentia haud efficacius occurri posse credebatur, nisi quædam præbendarum portio illis adempta in ceteros præsentibus distribueretur, simulque hac proventuum privatione ad divina officia assiduo frequentanda attraherentur. Verum alii censebant, potius integram aliquam præbendarum partem in distributiones esse convertendam. Ex reliquis Lucas Byzantius Catharæ in Sclavonia Episcopus, Vir pius, sed inops, ex adverso sic inquebat. „Canonici cen-

„censuris, atque adempta parte reddituum,
 „imo & privatione omnium fructuum,
 „& ipsarum præbendarum cogantur po-
 „tius ad officium, forma tamen primi-
 „tus instituta non immutetur: cum enim
 „omnes istiusmodi institutiones sint te-
 „stamentariæ, ultimas autem fidelium
 „voluntates violari, aut mutari sit ne-
 „fas, hinc nihil in his non modo melio-
 „ris boni obtentu, sed ne vere in me-
 „lius quidem innovetur, cum injusti-
 „tiam sapiat in alienam rem ideo ma-
 „num injicere, quia ille non optimum
 „in modum re sua utitur: illud vero in
 „primis cavendum est, ne tunc, dum
 „uni malo quæritur remedium, alteri
 „graviori janua aperiatur, atque e ne-
 „gligentibus evadant simoniaci, cum
 „in comperto sit, omnem functionem spi-
 „ritualem, quæ spe præmii exercetur,
 „esse simoniam.,, Verum his rationi-
 bus altera ex parte respondebatur, quod
 penes Concilium sit ultimarum volun-
 tatum mutatio, ac de divinis officiis,
 lucri, aut mercedis specialis spe obeun-
 dis distinguatur, an lucrum, aut præ-
 mium, quod expectatur, causa sit prin-
 cipaliter movens, an vero tantum im-
 pellens: cum non peccetur a Canoni-
 cis stata Sacrorum tempora potissimum
 observantibus, ut Deum religiose co-
 lant, quamvis secundo id fiat ad con-

Sæcul. XVI.
 A. C. 1562.

Sæcul. XVI
A.C. 1562.

sequendas distributiones. Alii ad hæc vicissim replicabant: „non suadet ratio, „quod Synodo plus juris in bona de- „functorum, quam in viventium com- „petat: porro nemo audit adeo teme- „rarius, ut vivorum opes sibi arroget: „insuper doctrina, quæ Deo sub emo- „lumentis spe secundo servare dicit „licitum, non est adeo certa, & indu- „bitata, prout tamen sibi quidam ima- „ginantur: si vero ita se res haberet, „certe causa ea nunquam secundaria „dici posset, sed primaria potius, quæ „ita impellit ad operandum, ut sine ea „nulla operatio sequeretur.„ Hæc opi- „nio a Patribus ibidem congregatis mi- „nus benevolis excipiebatur auribus, qua- „propter prævaluit sententia eorum, qui „saltem unam cujuslibet præbendæ por- „tionem in distributiones converti pete- „bant, ut hac ratione quivis, quantum „ferri poterit, ad Divinum officium per- „moveretur, quam in rem postea in Ses- „sione vigesima prima decretum fuit „conditum.

Discussis hisce tribus articulis ex „qualibet Natione Patres, qui decretis „desuper conficiendis suam impenderent „operam, nominabantur, & Legati reli- „quorum sex articulorum examen ad alias „rejiciebant Congregationes, utrumque „vero articulum de clandestino Matri- „monio

monio reservandum censebant ad tem-
pus, quo aliunde de Matrimonii Sacra-
mento ageretur: porro hac de re interea
negotium dabatur secundi Ordinis The-
logis, seu illis, quibus in generalibus
Conventibus nullum suffragii jus com-
petebat: interim potissimum articulus
de residentia sollicitudinem Patrum di-
sidentiam habebat, quæ tamen contro-
versia ad sequentem remittebatur Con-
gregationem.

§. LXXVIII.

Venetæ Reipublicæ Oratores Tridentum delati.

Pridie ad hanc Congregationem die
decima nona Aprilis duo Venetæ
Reipublicæ Oratores Nicolaus de Ponte
& Matthæus Dandolus Tridentum ve-
nerant, quibus nonaginta quatuor Præ-
lati obviam ibant: porro illi equo vecti
urbem ingrediebantur eo ordine, ut
primi Oratoris latera stiparent Patriarcha
Jerosolymitanus, atque Episcopus Sal-
manticensis, alterum vero utrinque
comitarentur duo Patriarchæ Aquilejen-
sis, & Venetus. Denique ad Concilium
in generali conventu die vigesima quinta
Aprilis habito admittebantur, quæ dies
Divo Marco hujus Reipublicæ Patrono
sacra studiose feligebatur, ut eorum
receptio augustior fieret: insuper id
 fiebat

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Pall. c. 5.
um. 7.
Labb. Col-
lect. Conc.
tom. 14.
p. 1157.
es /eq.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562. fiebat ex eo, quia in demandatæ facultatis literis, quas afferebant, Secretarius inferuerat, quod Synodus universalem repræsentet Ecclesiam, ac Synodus præsens prioris continuatio esset, quorum tamen utrumque corrigi oportebat: primum enim omnino rejiciebatur, alterum vero nondum erat deciduum: præterea Reipublicæ diplomata duntaxat exprimebant, quod Oratoribus fides haberetur, non autem ipsis injungebatur, ut Synodo faverent, ejusque Sanctiones exciperent: eapropter Dominici Polani Brixienfis Episcopi, ac Nobilis Veneti, cui Oratores plurimum confidebant, opera effectum, ut Tabellarium ad Senatum ablegarent, petentes, ut eis mandata, ac literæ ea, qua par esset, forma expedirentur, quibus receptis hi Oratores die vigesima quinta ejusdem Mensis ad Synodum admissi fuere.

§. LXXIX.

Grimanus Patriarcha Synodum accedere paratus, suam innocentiam vindicaturus.

*Lit. Legat.
ad Borr.*

9. April. 83

21. Jun.

1562. apud

Pallav. l. 16.

e. 5. n. 8.

Sub idem tempus Tridenti fama percrebuit, quod Grimanus Patriarcha Aquilejensis suam innocentiam vindicaturus Synodum accedere decreverit. Hic Præsul a Senatu Veneto ad purpuram

puram summo Pontifici proponebatur, repulsam tamen tulit, eoquod de hæresi suspectus esset: nec tamen defunt, qui affirmant, quod Pontifex ad veniam huic Præsuli indulgendam pronum exhibuerit animum, postea tamen sive per Inquisitionis Judices ab hoc proposito abterritus, sive aliis ex causis impulsus Legatis suis demandabat, ut Patriarchæ denuntiarent, quod non Tridenti, sed Romæ, ubi ejus causa pendebat, se sisteret, de cetero autem de plena securitate certus esset, suamque causam ad Sacrum Purpuratorum Collegium in publico Senatu congregatum devolvendam sciret. Priusquam Legati hæc Pontificis jussa acceperant, jam desuper summo Pontifici literas dabant, ipsique Patriarchæ significabant, quod Papæ jurisdictioni hac in causa nullatenus derogare vellent: insuper eidem Patriarchæ per suum Coadjutorem proponi curabant, quod Tridentum venire differret: Verum hac in causa, quid amplius fuisse motum haud constat.

Sæcul. XVI.
A C. 1562.

§. LXXX.

De Parochiis in plures titulos dividendis actum.

Interea continuato fervore Congregationes habebantur usque ad proxima
mam

Sarpinus
p. 481.

Sæcul. XVI.
A.C 1562.

mam Sessionem, quæ ad decimam quartam Maji diem erat indicta: porro in conventu die vigesima sexta Aprilis habito examinabatur articulus quintus de amplioribus Parochiis, ad quarum administrationem plures requiruntur Sacerdotes, qua in re movebatur quæstio, an Episcopus horum Sacerdotum munia in titulos commutare valeat? equidem Præfules ita sentiebant: „quando unum „templum populo, non vero unus Rector „sufficit, tunc tituli non sunt multiplicandi, cum tunc, si in una Ecclesia „plures existerent Parochi, ibi plurimorum ferrentur dissensiones, & opinionum dissidia: hinc ab Episcopo cogendus est Parochus, ut assumat sibi „tot in subsidium Sacerdotes, quot Ecclesie necessitas requirit: ubi vero „incolarum, ædificiorumque multitudo „divisionem postulat, tum Episcopo permittatur novam Ecclesiam parochialem erigere, tam populi, quam reddituum facta divisione, aut certe populus ad redditus idoneos Parochus constituendos pecuniam contribuere adigatur., Ultimam sententiæ hujus clausulam Eustachius Bellajus Parisiensis Episcopus, qui Tridentum ante paucos dies venerat, minime probabat, cum in Gallia nullum vigorem esset obtentu-

tura: hinc idem sic inquebat: „nul-
 „lum Sacro Ordini in Laicos imperium
 „in temporalibus conceditur: mihi vero
 „e dignitate Concilii Oecumenici non
 „videtur decreta condere, quæ ex ulla
 „Christiani Orbis provincia merito fo-
 „rent eliminanda.„ Huic respondit
 Franciscus Thomas Casellus Episcopus
 Cavenfis: „nesciunt Galli, quod ea po-
 „testas a Christo, & Divo Paulo Con-
 „cilio data fuerit, nam ab iis populo
 „præceptum legitur, ut victum suppe-
 „ditet iis, qui ipsi spiritualia ministrant:
 „hinc Galli, dummodo Christiani esse
 „volunt, præcepto huic parere debent:
 „Ad hæc Bellajus Parisiensis replica-
 „bat: ego hæc intellexi, quod a
 „Christo, Divoque Paulo Evangelii Mi-
 „nistris concedatur victum ab eo, qui
 „sua sponte eum largitur, jus accipiendi,
 „non autem illum adigendi, ut largia-
 „tur: neque dubito, quin Galli per-
 „petuo velint esse Christiani: de cetero
 „autem nolo altercari, aut rem ulterius
 „urgere.„ Porro Synodica hu-
 „jus articuli decisio in Sessionis vigesi-
 „mæ primæ capite quarto de Reforma-
 „tione refertur.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1562.

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

§. LXXXI.

Articulus sextus, & octavus de Parochiarum, & Sacellorum unione.

Postea Articulus sextus, & octavus ob argumenti affinitatem simul eidem subiciebantur examini, atque articulus sextus unionem plurium concernebat Parochiarum, quæ ob reddituum tenuitatem unius Parochi sustentationi haud sufficiunt: alter autem articulus respiciebat Sacella, seu Capellas pene dirutas ad principalem Ecclesiam transferendas. Hac de re provide prospiciendum, unanimi consensu existimabant Patres: cum autem Ecclesiarum uniones Sacræ Sedi essent reservatæ, hinc Præsulum potissimi hoc argumentum minime agitandum, censebant: non deerant tamen nonnulli, qui medium, cujus ope Episcopi sibi ejusmodi unionum cognitionem, easque exequendi potestatem vindicare possent, excogitantes suadebant, ut id a se *tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis* factum dicerent: Hoc consilium placuit Episcopis, eoquod Synodus hac clausula sub Paulo III. non sine magno extensæ auctoritatis quæstu usa fuisset.

§. LXXXII.

§. LXXXII.

Sæcul. XVI.
A C. 1562.

*Articulus de Parochis illiteratis, ac
sceleratis.*

Articulus septimus tangebatur Coadju-
tores, quos Parochis literarum igna-
ris adjungi proponebatur: itaque hoc
argumento in deliberationem vocato
convenere omnes, quod homines ad
populum erudiendum in doctrina, &
ædificandum per morum probitatem
idonei, atque ad ecclesiarum ministe-
ria digne obeunda probe instructi se-
ligi debeant: Patres tamen suo se offi-
cio abunde functos putabant, si in fu-
turum huic rei consulerent: cum enim
leges eæ odiosæ sint, quæ retro spe-
ctantes de negotiis præteritis statuunt,
hinc sufficere putabant, si in posterum ho-
mines idonei regendis Ecclesiis præfi-
ciantur, interim vero illi, qui in earum
possessione sunt, tolerantur: Archi-
episcopus tamen Granatensis hæc ad-
debat: „Majestas divina ratam non ha-
„bet hominis inepti, atque ad exer-
„cendum Christi ministerium minus ido-
„nei designationem; hæcque nullatenus
„subsistit, cum ejusmodi electio le-
„gitima ratione minus nitatur, ideo
„tenemur ex officio, indigno Rectore
„remoto digniorem alium substituere.,
Verum sententia hæc Patribus haud

Hist. Eccles. Tom. XLIV. L l pla-

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

placuit, hinc mediam amplexi sunt viam, nec id, quod in articulo propositum erat, excedebant, & inter imperitos, ac impuros discrimen faciebant sancientes, ut cum illis tanquam minus noxiis mitius ageretur: cum vero æquitas peteret, ut Episcopus Ecclesiis sibi subditis provideret, quando nullæ a Pontifice manarunt collationes, eidem quoque concedendum putabant, ut tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, contra Ecclesiasticos indoctos, vel sceleratos procedere posset, & quidem ea ratione, ut idiotis aliquamdiu Vicarii, seu Coadjutores adjungerentur, iisque donec saltem eorum sustentationi aliter provisum fuerit, quædam proventuum pars adjudicaretur: libidinosi autem prius admoniti castigarentur, si vero correctionis impatientes fuerint, omnino gradu suo dejiciantur.

§. LXXXIII.

Articulus de Ecclesiis in commendam datis.

Sarpas
p. 482.

Articulus nonus erat de visitatione beneficiorum etiam Regularium, quæ in commendam data fuere, quam in rem statutum, quod suprema commendarum, cum eas Pontifices stabiliarent, inspectio Episcopis non permit-
tatur

tatur quoad regimen ejusmodi Eccle-^{Sæcul. XVI.}
 siarum, quæ a summo Pontifice aliis ^{A. C. 1561.}
 commissæ, vel commendatæ fuere, qua-
 propter rursus ad illud medium jam
 nuper adhibitum recurrebatur, provi-
 sumque, ut visitandi, hasque Ecclesias
 inspiciendi potestas Episcopis duntaxat
 tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis
 tribueretur.

§. LXXXIV.

Articulus ultimus de Quæstoribus.

Cum decimi, atque undecimi articuli ^{Sarpius l. c.}
 examen ad tempus, quo de Matri-^{p. 483.}
 monio agendum esset, remitteretur,
 hinc Patres ad duodecimum, ac post-
 remum articulum de Quæstoribus trans-
 ibant: nam cum necessitas peteret Xeno-
 dochia, Nosocomia, Orphanotrophia,
 & alia id genus opera pia instituire,
 neque alius ei rei fundus suppeteret,
 quam ex fidelium eleemosynis: hinc
 consultum videbatur, ut viri quidam
 boni, ac pii provinciam sibi sumerent,
 eleemosynas eas ostiatim quæritandi:
 ut vero facilior aditus pateret, fidesque
 dictis major esset, Episcopi literis testi-
 monialibus hos quæstores communie-
 bant: alii autem, qui ab Episcopo ejus-
 modi licentiam non obtinuerunt, hanc
 a Pontifice facultatem una cum literis
 commendatitiis impetrabant, sibi ali-
 quam

Sæcul. XVI
A.C. 1562.

quam emolumentum partem adjudicantes, aliam vero personis vilibus, atque infamibus, quas sibi subrogabant, cedentes: denique illiberale hoc hominum genus, ut quæstum facerent uberiores, mille artibus, ac fraudibus sacrilegis, atque impiis populo illudebant, indulgentias falsas, ac ficta miracula prædicantes, & iis, qui stipem dare recusabant, cum imprecationibus mala omnia, infortuniaque minitantes; porro his, aliisque impietatibus, omnibus fidelibus odio simul, & offensioni erant: hinc materiam hanc Præsules discutebant, atque de illis corruptelis plurimum discurrentes innumera impie facta commemorabant, ac simul remedia olim frustra tentata, & tunc nihilo magis profutura explicabant, unicuique tantummodo reperiatur remedium, quod unanimi prope consensu probatum, ejusmodi quæstorum nomen, & usum abolere poterat. Hæc sententia omnibus ferme Patribus ardebat.

§. LXXXV.

Franciæ Orator datis ad primum Legatum literis Sessionem prorogari petens.

Pallav. l. 16.
c. 5. n. 9.

Hæc cum interea gererentur, Mantuanus Cardinalis primus Papæ Legatus

gatus literas die decima quarta Aprilis datas accepit, quibus ille hæc significabat: „Electus sum a Galliarum Rege „Orator ad Synodum, adjunctis mihi „duobus sociis, Arnolde Ferrerio Præ- „sede Parisiensi, & Guidone Fabro de „Bibrac sanctioris Senatus Con- „siliario: mei vero adventus festi- „nationem pro viribus polliceor; si vero „non succederet accessus ante statutum „Sessionis diem, Patres rogo, ut tres, „quatuorve dies illam differre vellent. „Hæc Gallici Oratoris petitio in con- „ventu die vigesima Aprilis habito a Le- „gatis proponebatur, re autem matu- „rius ponderata nil decisum fuit, nam petitio quidem nonnullis æqua videba- „tur, potissimum eo nomine, quod Sy- „nodus præprimis petente Natione Gal- „lica ad sedandos hujus Regni tumultus „fuiſſet coacta: altera vero ex parte du- „bitabatur, an liceret Patribus diem „Sessioni præstitutum extra Sessionem „prorogare? porro id Granatensis Archi- „episcopus constanter pernegabat, eo- „quod juxta ejus mentem decentiæ le- „ges præscriberent, ut Sessionis dies cer- „tus, notorius, & solemnè ritu sit in- „dictus, quatenus sic cuilibet eam adire „in promptu esset, hinc a privato cœtu „haud immutandum dicebat, nec mi- „nus huic dilationi obsistebant Hispani

Sæcul. XVI.

A.C. 1562.

Sæc. XVI
A.C. 1562.

Præfules, qui instanter, ut Sessio die præfixa haberetur, petebant, addentes, nec definiendum esse in proxima Sessione ullum dogma, nisi prius Gallos desuper audiendi opportunitas esset.

§. LXXXVI.

Franciæ Regis epistola ad Lansacum suum Tridenti Oratorem.

*Mem. pour
le Concil. de
Trente.*

Hæc Lansaci petitio consona erat votis Franciæ Regis, qui aliquot ante ejus discessum diebus prima Maij ad ipsum hæc perscripserat: „Regni mei „tumultus indies magis, magisque in- „valescunt, quamvis pro reddenda pace „nihil intentatum relinquam, eapropter „Episcoporum discessum retardavi; hi „enim mihi exponebant, quod ferventibus adhuc hisce dissidiis gregem suum „deferere nequeant, veriti, ne se absentibus falsi Doctores conscenso suorum Ecclesiarum suggestu populum seducant, novisque erroribus imbuant: „hanc ob causam pro Regni mei quiete, ac totius Christiani orbis bono „plurimum conducere censeo, ut Sessio „proxima usque ad Episcoporum adventum differatur, quatenus tanti momenti negotium a me propositum non præcipiti consilio, sed matura deliberatione plurium Prælatorum ex variis „regionibus confluentium pertractari valeat:

„valeat: hinc tibi præcipio, ut omni, Sæcul. XVI.
A.C. 1562.
 „qua poteris celeritate ante inchoatam
 „Sessionem Tridentum contendas, eam-
 „que usque ad hyemis initium, si fieri
 „potest, differri efflagites, ut Franciæ
 „Episcopi sedato tumultu iter cum ma-
 „jori opportunitate, ac commodo ag-
 „gredi possint: si vero tam longam mo-
 „ram concedere renuerint, ad omnia,
 „quæcunque fieri placuerit, me para-
 „tum exhibeo, si tamen insuperhabita
 „petitione tua responderent, quod præ-
 „fatam Sessionem præfixa die celebrare
 „statuerint, tunc saltem id impetres,
 „ne quicquam ibi circa Religionem de-
 „cidatur, cum Franciæ Præsules, ut-
 „pote absentes, eorum decreta acce-
 „ptare non possent, indeque majores
 „adhuc in Regno tumultus suscitarentur.

§. LXXXVII.

*Alia Reginæ Matris epistola ad
Lansacum.*

Eadem die prima Maij pariter Regina *Mem. l. c.*
 Mater datis ad eundem Oratorem *p. 180. &
181.*
 literis significabat, quod ex epistola,
 quam vigesima quinta præteriti Mensis
 die acceperat, non sine animi sui læ-
 titia de restaurata ejus valetudine, ac
 itineris prosecutione certior fuerit facta,
 ac summopere optasset, ut is usque ad
 Sociorum suorum adventum Mediolani

L 1 4

substi-

Sæc. XVI.
A. C. 1562.

substitisset, quatenus unaomnes tempore debito ob causas jam in alia epistola expositas Tridentum ingredi potuissent; certo enim Synodi Patres comperto eorum itinere sese faciliores exhibuissent, atque usque ad eorum adventum Sessionem differre haud fuissent tergiversati. His addebat: „Ex Principe Mantuano ad aulam nostram delato percepi, quod a Patruo suo Cardinale Mantuano intellexerit, Piscarium Marchionem, dum tanquam Regis Catholici Orator Tridentum venerat, ad Synodum admissum palam edixisse, quod primum a Cæsaris Legato locum sibi aut vi, aut benevolenti consensu vendicare velit: Mantuanum vero Cardinalem respondisse, quod hæc agendi ratio minime Oratorem deceat, ac potius, quicquid desuper Synodus decreverit, exequi teneatur: quapropter memor esto eorum, quæ tibi in tuo discessu fuerunt injuncta, atque in tuis mandatis expressa, a quibus nullo pacto secedas, minus vero permittas, ut jus adeo legitime, tantoque abhinc tempore a Francia possessum in dubium, vel controversiam vocetur.

§. LXXXVIII.

§. LXXXVIII.

Sæc. XVI.
A.C. 1562.*Patrum sententia de audiendis Franciæ Oratoribus.*

Cum Legati probe prospicerent, quod *Pallav. l. 16.*
 Sessione usque ad Franciæ Orato-*c. 5. n. 11.*
 rum adventum dilata, Lanfacus ibidem *§ 12.*
 jus suum vehementer propugnaturus ac repulsam ferens quantocius a Synodo discessurus esset, hinc ea res Legatos valde perplexos tenebat, præcipue cum Ferrariensis Cardinalis Franciæ Legatus summo Pontifici perscripisset, ut hoc dissidium per Concilium componi curaret, eoquod secus Lanfacum Tridento abiturum sciret: insuper major Synodi Patrum numerus Sessionis dilationi favebat, atque ab Hispanis dissentiebat: æquum enim quibusdam Prælati videbatur, morem esse gerendum Oratoris petitioni haud injustæ, eoquod in Concilii Sessionibus jurisdictio contentiosa, per quam quispiam in jus vocaretur ad suam causam agendam, non exerceretur: aliunde vero Sessiones extra Sessionem prorogare haud insolitum esset, prout patet in Sessione duodecima Concilii Constantiensis: nihilominus horum sententia fuit temperata, atque in Conventu die trigesima Aprilis habito, mature discussis utriusque partis rationibus conclusum,

L 1 3

quod

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

quod Sessio præstituta decima quarta Maij die haberetur, ibidemque perlectis duntaxat Oratorum literis, ac mandatis, octavo post die alia celebraretur Sessio, in qua promulgarentur decreta. Id etiam Cæsar, ubi rescivit, ratum habebat.

§. LXXXIX.

Bavariæ Ducis Oratores ad Synodum delati.

Pallav. l. 16.
c. 6. n. 1.
Raynald.
num. 42.
Sarpus l. 6.
p. 484.

Interea Synodus frequentiori Episcoporum, ac Legatorum concursu indies celebrior reddebatur, quippe ipse etiam Bavariæ Dux suos ablegabat Oratores, qui ineunte Mense Majo Tridentum venerant, erantque illi Augustinus Paumgartner, Doctor, & Joannes Cavillonius Societatis Jesu Theologus. Hi, cum Legatos inviserent, exponebant, quod sibi in mandatis fuisset datum, ne Oratorum ulli cederent, iis exceptis, qui a Regibus, aut ab Imperii Septemviris mitterentur, ut prointra infra Venetos confidere non possent. Responsum a legatis est, ab ea Republica duo regna possideri: verum illi subdiderunt, quod fortasse sui Principis mens esset, ut inter Regios etiam Oratores Veneti comprehenderentur; interim ut id sic interpretarentur, sui muneris haud esse dicebant, atque se ad

ad Ducem de eo perscripturos pollicebantur, ne tamen in lites inciderent, a se optari aiebant, ut sua mandata producere possent in cœtu, a quo Veneti, ne gravarentur, abessent, ut illorum indignatio devitaretur. Id quoque se procuraturos spondebant Legati.

§. XC.

Altercatio inter Bavaricæ Ducis, ac Venetorum Legatos circa Sedis prærogativam.

Hac super re Legati conferebant cum Episcopo Brixienti, qui utpote Venetus suos populares forte facilius eo inducere posset, ut a conventu abessent: Verum hic Præsul ejusmodi negotium in se suscipere recusans efflictim Legatos rogabat, ut hanc rem nequaquam proponerent Venetis, qui abs dubio sumopere offenderentur, si Bavaricæ Legatos præcedendi jus, quod ipsis competit, in controversiam duceretur: ea propter decretum est, horum Oratorum receptionem esse differendam: interea vero Warmiensi Cardinali datum est negotium, ut Bavaros rogaret, quatenus confestim ad Ducem suum perscriberent, eique gravissima exponerent incommoda certo certius eventura, si ejus Oratores cum Venetorum Republica de primi loci honore contendere vellent.

Sæc. XVI.
A.C. 1562.

*Pallav. l. c.
Et c. 10. n. 8.
Justin. hist.
Venet. l. 14.
Maurocen.
hist. Venei.
l. 8. lit. Gall.
de rebus
Concil. Trid.*

*ma. hunc
ma. ad. ma
ma. ma
ma. l. 11
ma. l. 12
ma. l. 13
ma. l. 14
ma. l. 15
ma. l. 16
ma. l. 17
ma. l. 18
ma. l. 19
ma. l. 20*

Sæcul. XVI. **A.C. 1562.** vellent. Ad hæc quidem rescripsit Dux: **A.C. 1562.** ast responsum dedit a Patrum expectatione longe alienum, Paumgartnero enim præceperat, ut confestim Tridento discederet, nisi ei potior Venetis locus assignaretur. Hoc responsum Patres in novas adhuc conjiciebat difficultates; si enim Duci satisfacerent, Venetorum Reipublicæ, quæ præcipuum erat in Italia Religionis propugnaculum, injuriam inferrent: si vero Venetorum votis cederent, abs dubio Ducis, qui tamen fidei causam in Germania strenue tuebatur, indignationem sibi accerferent, hacque ratione simul omnium Germaniæ Principum etiam Ecclesiasticorum Oratores offenderent.

§. XCI.

Legati hac super re Pontificis consilium exquirentes.

Spond. annal. hoc ann. num. 22. **Lit. Legat. ad Borrom. 21. Maij 1562. apud Pall. c. 10. num. 8.** Cum ergo Legati, quid decernerent, suspensi hærent, Venetæ Reipublicæ, ac Baviaræ Ducis Legatos rogabant, ut ipsis hac super re deliberandi spatium indulgerent: interea vero datis ad Papam literis petebant, ut quodam probatæ fidei Viro in Baviariam misso Ducem rogaret, quatenus ob Religionis commodum in hac occasione cederet: insuper significabant Legati, ad id a Duce consequendum opportuni-

portunitatem adesse, eoquod Bavarus Sæcul. XVI.
 Mense Junio Pragam iturus esset, ut ibi- A.C. 1562.
 dem Sororis suæ Maritus Rex Bohe-
 miæ coronaretur, ac proin Cæsar quo-
 que hac opportunitate usus Ducem Ge-
 nerum suum ad id permovere posset:
 verum Imperator huic negotio sese in-
 gerere renuebat, unde Pontifex suis
 Legatis respondit, ut suo nomine Ba-
 variæ Duci suaderent, ne eam sibi ante-
 ferri Rempublicam gravate ferret, quæ
 duo Regna Cypri, & Cretæ obtineret,
 & amplius mille annos cum dignitate
 imperium retinisset, ac finium ampli-
 tudine, bello, paceque gestis regios
 titulos sustinere posset, alias, ni sponte
 sua id faceret, invitus cedere cogere-
 tur: hoc tamen dissidium nonnisi Mense
 Junio componebatur, ubi Albertus Dux
 suo Legato, ut Venetis honoratiorem
 locum relinqueret, rescripsit: itaque
 Baviaræ Orator die vigesima septima
 ejusdem Mensis in quadam Congrega-
 tione comparens infra Venetos Orato-
 res confedit, præmissa tamen hac de-
 claratione: „ego quidem, ut non ad
 „Concilium, in quo humanis ablegatis
 „affectibus, Religionis, ac pietatis ne-
 „gotia agitantur, certandi studio ac-
 „cessisse videar, & simul prisca cum Vene-
 „ta Republica amicitiae jura servem, Ve-
 „netorum, Oratoribus cedo, ea tamen
 lege,

Sæc. XVI.
A.C. 1562.

„lege, solemnique denunciatione, ne
„posthac meo Principi, ejusque posteris,
„ceterisque Germaniæ Principibus, E-
„lectoribus, ac Ducibus fraudi sit: ut
„vero hujusce rei monumentum posteris
„relinquatur, id in acta Concilii re-
„ferri, exemplarque mihi scribæ manu
„exarratum exhiberi flagito. „ Ad hæc
respondit Orator Venetus: „meæ Reipu-
„blicæ meritissimo jure superior locus
„debetur: & quemadmodum Dux Ba-
„variæ nunc cedit, ita spero, eum dehinc
„ubique cessurum: porro id ipsum in
„acta referri peto. „

§. XCII.

*Contentio inter Cæsareos, & Hispanos
circa vocem: continuatio.*

Pallav. u. 3. Insuper assidua Cæsareos inter, & Hi-
spanos fervebat contentio de his
verbis: *Synodi continuatio*: quo arden-
tius enim Cæsarei hanc vocem excludi
contendebant, eo pertinacius isti illam
propugnabant: quapropter cum Cæsa-
ris fautores hæc verba: *ut, quam citissime
possit, agitentur ea, quæ de dogmatibus
expendenda supersunt*: in decreti formu-
la exponi cernerent, enixe petierunt, ut
ea delerentur verba, eoquod nimis a-
perte Synodi continuationem præsefer-
rent: præterea a Cæsareis tanquam res
minime dubia habebatur, Hispanos om-
nino

mnino confensuros, ne de continuatione mentio fieret usque ad Synodi exitum: ex adverso autem firmiter credebant, ab Hispaniæ Rege in quodam libello fuisse significatum, quod consentiret Cæsar, ut rupta omni mora Continuatio extemplo declararetur. Verum utrumque confestim patuit falsum esse: nam Hispani eodem die, quo Cæsarei hoc de ipsis affirmarunt, Præsides rogabant, ne a concepta Decreti forma ea verba mox relata tollerent usque ad accessum Piscarii Marchionis, qui expectabatur in horas: is vero postea adventans omnino contraria significabat iis, quæ pro certis posuerant Cæsariani, nam hi omnibus iis, quæ vel leviter Synodi continuationem indicare videbantur, vehementer sese opponebant.

§. XCIII.

Hispaniæ Regis querelæ ad Papam contra ejus Legatos.

Ut ea res plenius intelligatur, sciendum est, per eos dies allatam fuisse legatis epistolam Pontificis cum duobus libellis, quos Philippus Hispaniæ Rex ad Papam miserat, atque in iis de Legatis acerbis querelas instituerat, & quidem in primo, eoquod in decimæ septimæ Sessionis decreto hæc verba fuissent apposita: *Proponentibus Legatis;*
in

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Sæcul. XVI. in altero autem querebatur, quod mo-
A.C. 1562. ram interjecissent Legati in declaran-
 da Synodi continuatione. Verum re-
 scripserunt illi epistolam Pontifici, bre-
 vem quidem, sed obsequentissimam er-
 ga Hispaniæ Regem, eo fine, ut illa hu-
 jus Oratori Romæ posset ostendi: in-
 super alteram epistolam satis prolixam
 ad ipsum Regem scripsere, Papæ Nun-
 tio Crivello communicandam, qui pa-
 riter Philippi mentem Legatorum præ-
 cipuo significabat: porro in ea stude-
 bant Legati tria simul conjungere I,
 summam in Regem Catholicum reve-
 rentiam, II. claram in se purgandis ra-
 tionem, III. intrepidam quamdam fidu-
 ciam in sustinenda Ecclesiæ pote-
 state, & Concilii dignitate: ceterum in
 priori Regis scripto memorata verbu-
 la *Proponentibus Legatis*, incusabantur
 tanquam nova, illucque tendentia, ut Sy-
 nodi libertatem minuerent, offensionem
 Catholicis inferrent, & hæreticos ab ac-
 cessu ad Synodum retraherent: Legati
 vero ad se purgandum hæc exponebant
 Regi. „Miramur, quod aliqui tam sinistris
 „sermonibus, rationibusque tam frivo-
 „lis studuissent purissimam, ac benignis-
 „simam Regis mentem ab ipsius famu-
 „lis tam addictis alienare: idcirco in pri-
 „mis opus est, ut Rex sincere fiat cer-
 „tior de re gesta, quæ sic habuit: Par-
 ticula

„ticula illa, una cum tenore totius De-
 „creti fuit prius a nobis communicata
 „solis Hispaniæ Præfulibus, ad exi-
 „stimationis, ac fiduciæ argumentum,
 „hoc est, cum Guerrero, & Augusti-
 „no, quorum primus cuncta plene pro-
 „baverat, alter autem aliarum vocum
 „mutationem postulaverat, & obtinuerat,
 „nullamque nec ipse, nec alii difficulta-
 „tem de illa voce indicabant: „ porro
 dein Decretum proponebatur, & una-
 nimi consensu in cœtu generali reci-
 piebatur.

§. XCIV.

Legati suam innocentiam coram Hispaniæ Rege vindicantes.

His addebant Legati: „ in Sessione *Pallav. c.6.*
 „ duo tantummodo ex Patribus re- *n. 5. & 6.*
 „ pugnantibus, duo autem alii Præfules
 „ consentire sub conditione hac, ut *Le-*
 „ gati proponerent id, quod Synodo dignum,
 „ ut proponeretur, visum esset: nam fir-
 „ miter credebatur, quod per eam clau-
 „ sulam aditus obstrui possit, nequi per
 „ inquietum ingenium suum tentarent,
 „ præteritas definitiones in controver-
 „ siam vocare, cum id a multis adeo ex-
 „ peteretur, quamvis regiæ suæ Majesta-
 „ ti displiceret: si vero voces a nobis ad-
 „ hibitæ erant novæ, in omni Republi-
 „ ca

Hist. Eccle. Tom. XLIV. M m „ca

Sæcul. XVI.
 A.C. 1562.

Sæcul. XVI
A.C. 1562.

„ca, inter rerum humanarum varia-
 „tem nonnunquam prudenter novæ
 „sanctiones fieri solent, hinc cum hac
 „tempestate Pontificia dignitas ab hæ-
 „reticis novis machinis quatiatur, opus
 „est, ut vicissim a Catholicis ea novis
 „molitionibus communiatur; ceterum
 „etiamsi novitas inesset verbis, certe
 „rebus per has significatis ea non sube-
 „rat: præterea in omni consilio, & in
 „omni Republica recte administrata pro-
 „ponendi partes non omnium, sed Ma-
 „gistratum sunt; si ergo cuicumque E-
 „piscopo competit ea, quæ ad Ecclesiæ
 „suæ bonum conducunt, proponere:
 „multo magis id Synodi Legatis, qui
 „Romanum Pontificem Ecclesiæ uni-
 „versalis Episcopum repræsentant, illa,
 „quæ ad universale bonum conferunt,
 „proponere licebit: præcipue cum nos ita
 „moderate hanc auctoritatem exercue-
 „rimus, ut cuncta rationi consentanea,
 „quæ nobis a Patribus suggerebantur,
 „proposuerimus in confesso: si vero in
 „quadam re hanc jurisdictionem no-
 „stram severe usurpavimus, id unice in
 „Regis commodum fecimus: etenim
 „cum prius decrevisset Synodus publi-
 „cam adeundi Concilii securitatem of-
 „ferri cunctis hæreticis, & iis etiam, quos
 „sancta Inquisitio in jus vocaverat, pru-
 „den-

„dentes quidam Episcopi, videlicet Sal-
 „manticensis, Dertusensis, & Pactensis
 „monuerant, hinc ortum iri grave in-
 „commodum inquisitioni Hispanicæ,
 „Regiæque administrationi: qua de
 „caussa Decretum fuit reformatum, &
 „quamvis postea complures optassent,
 „ut illud pristinæ amplitudini reddere-
 „tur, nos tamen nostra usi auctoritate,
 „rem unquam proponi nolimus: porro
 „quoad Synodi libertatem, quam Re-
 „gia sua Majestas aufferri queritur, o-
 „mnibus liquido compertum est, quod
 „nos non modo integerrimam decernen-
 „di, quæ nobilissima, ac celsissima pars
 „est, potestatem Patribus reliquerimus, &
 „insuper eisdem fecerimus facultatem ea
 „omnia proponendi, quæ a pluribus,
 „ac potioribus expeti novimus, nec
 „minus permisimus, ut Archiepiscopus
 „Granatensis auctoritate sibi assumpta,
 „cum de alio argumento a nobis pro-
 „posito sententiam diceret, ad aliam
 „quæstionem diverteret, & in consilium
 „adduceret, ut Synodo titulus, quo re-
 „præsentans Ecclesiam universalem ap-
 „pellaretur, præfigeretur: præterea a-
 „lia vice concessimus, ut declararetur,
 „Pastorum residentiam esse juris divini,
 „quamvis hæc opinio jam fuerit rejecta
 „in Synodo sub Paulo III. convocata,

Sæcul. XVI.
 A. C. 1562.

Mm 2

„nos

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

„nos tamen ut de iis sententiæ diceren-
 „tur, permisimus: adhæc cum men-
 „tio facta fuerit de offensione Catholi-
 „corum, mirum nobis admodum acci-
 „dit, Catholicum ullum offendi ex eo,
 „quod tam concorditer ab Oecumenica,
 „& ampla Synodo statutum fuerat: ce-
 „terum huiusmodi offensio ex Christi
 „documento parvi facienda videtur, eo-
 „quod ab iis oriatur, qui, cum essent
 „cæci, volebant aliorum cæcorum du-
 „ces esse: tandem cum nobis exproba-
 „tur, quod hisce verbis potius hæreti-
 „cis Concilium adeundi difficultatem
 „injecerimus, quam eos ad Synodum
 „pertraxerimus, respondemus, quod sta-
 „tim, quamprimum spes alioquin afful-
 „gebit de eorum adventu, parati simus,
 „ut non solum nihil proponamus, sed
 „nequidem hac de re loquamur, atque
 „etiam, si id ad revocandos a veritatis
 „semita devios prodesset, omnino a Con-
 „cilio recedamus: Verum qua ratione
 „Præfules tui regiæ Majestati vestræ
 „hanc rationem proponere audebant,
 „qui tamen ipsimet tam immoderato
 „studio, totisque viribus iu id inten-
 „dunt, ut Synodus declararetur *conti-*
 „*nuata*; licet in comperto sit, quod ex-
 „inde hæretici non modo Concilio in-
 „teresse recusaturi, sed etiam impla-
 „cabili

„cabili odio illud ipsum profecuturi
 „essent? „

Sæcul. XVI.

A.C. 1562.

§. XCV.

*Continuatio responsi Legatorum ad
 Hispaniæ Regem.*

Circa illam declarationem, de qua in *Pallav. c. 6.*
 altero Hispani Regis libello sermo *n. 9. & 10.*
 fiebat, hæc exponebant Legati: „tamen
 „fortasse in rem futura fuisset dissimu-
 „latio ad aliquod tempus; cum circa Sy-
 „nodi continuationem statim mentem
 „nostram aperire vix ausi essemus:
 „quoniam vero regiæ Majestati vestræ
 „singulare nostrum Religionis studium
 „luculento argumento testatum facere
 „nobis cordi fuit, hinc promissimus, nos
 „in proxime futura Sessione rem con-
 „fecturos, eo potissimum nomine, quod
 „ipse etiam Cæsar consentiret: nec tamen
 „suspensione liberi sumus, an non offen-
 „sionem aliquam incurramus non solum
 „apud hæreticos, sed etiam apud quos-
 „dam Catholicos, qui ad eum usque
 „diem animis pendebant, & ancipites
 „erant. „ His dictis Legati Regem pre-
 „cabantur, ne fidem haberet criminatio-
 „nibus contra ipsos, & Synodum dela-
 „tis, quæ ab ejusmodi hominibus, qui
 Regiæ Majestatis obsequio privata sua
 commoda contegunt, objectæ fuerunt:

M m 3

„quid

Sæcul. XVI
A.C. 1562.

„quid enim, inquiebant illi, libertati Con-
„cilii, erga quam hi tam egregium
„studium ostentant, magis repugnaret,
„quam velle pervertere id, quod com-
„muni concordia, duobus exceptis, con-
„fectum erat? quodnam fortius ad im-
„pugnandam firmitatem rerum, quæ
„Pauli III, ac Julii III. ætate constitu-
„tæ fuerant, est telum, quam velle con-
„cutere rem concorditer ab ipsis stabi-
„lilitam in præsentis Conventu? ne si-
„nas ergo Rex in splendorem gloriosissi-
„mi Nominis tui hanc maculam illabi,
„quod tibi met ipsi arrogare volueris
„potestatem in Synodos, & illius cur-
„sum retardare, quæ tamen Regii pa-
„trocinii fiducia coaluerat. Religiosis-
„simos Majores tuos imitare, qui probe
„intellexerant, ipsorum partes esse ob-
„sequi, ac patrocinari Conciliis, non
„autem ea regere, nec turbare: præci-
„pue vero te conforma invictissimi Ca-
„roli V. Parentis tui exemplo, qui, dum
„Tridenti Concilium habebatur, nolue-
„rat unquam manum illi admovere, nisi
„in ope ferenda, ut eo felicius res pro-
„cederent, cum vero ipse recto animo
„optaret, ut quædam stabilita decreta
„retardarentur ad reducendos aberran-
„tes, id per quamdam reverentiæ ra-
„tionem effecerat, quod ipsi laudi verti-
„tur:

„tur: porro eodem regnante Carolo po-
 „sitæ fuerunt in Decreto hæ voces, Sæcul. XVI.
 A.C. 1562.
 „*proponentibus Legatis*, non prius usita-
 „tæ, & tamen ipse non modo illis non
 „obstitit, sed omnino favit, tametsi fre-
 „merent hæretici in Ecclesiam contu-
 „maces: eapropter nos quoque a Regia
 „Majestate sua id ipsum Synodi patrocini-
 „um petimus, quod Orator Avalus
 „Piscarius Marchio Regis nomine Pa-
 „tribus sponderat.

§. XCVI.

*Papa Hispaniæ Regis voto cedere
 ab illius Oratore compulsus.*

Nihilominus Vargas Hispaniæ Regis Sarpus l. 6.
 p. 484.
 Orator nil intentatum relinquebat, Mem. pour le
 Conc. de
 ut Pontificem eo induceret, quatenus Trente p. 189
 Domini sui voluntati obsecundaret. 209. l'ètr. de
 Jam antea autem summus Pontifex Pius l'Isle au
 Lansac. 12.
 IV. datis ad Philippum II. literis sese Maji 8^o au
 l'abbé de S.
 Gildas 29.
 Maj.
 excusabat, hunc in modum rescribens:
 „clausula: *Proponentibus Legatis*, me
 „quidem inscio fuit apposita, videtur
 „tamen necessaria ad turbulentorum
 „hominum petulantiam retundendam;
 „Synodus enim alioquin instar Babylo-
 „nicæ confusionis foret, si ambitioso cui-
 „que potestas fieret effrænata audacia
 „turbas, & mutationes ciendi: porro
 „Legati certe viri sunt cordati, & Ma-

M m 4 „jesta-

Sæcul. XVI. „jestati suæ obsequentes, paratique ea
 A.C. 1562. „semper proponere, quæ ipsi grata, &
 „piis omnibus, prudentibusque non sint
 „injucunda.„ Cum autem Pontifex vo-
 luntati Hispaniæ Regis, qui hanc clau-
 sulam penitus omitti petiit, isto respon-
 so nondum satisfecisset, hinc Vargas
 rursus apud Papam instare jubebatur,
 quatenus Regi ea, quæ peteret, conce-
 dere velit: hinc Orator eidem exposuit,
 quod hæc verba eo collimarent, ut Sy-
 nodus omnino opprimatur, atque in ser-
 vitutem redigatur: verum Papa ad
 hanc Oratoris temeritatem nonnihil
 commotus respondit, atque eidem ex-
 probravit, quod non ea, quæ Sedi Apo-
 stolicæ deferre teneretur, officia præsti-
 tisset, illa autem agendi ratio, quam Hi-
 spaniæ Episcopi hucusque in Synodo
 tenuissent, seditionem saperet: postea
 Pontifex decretum ibidem factum osten-
 dit justum æque, ac necessarium, cum
 inde nulli fieret injuria, quod proponen-
 di facultas Legatis fuisset attributa. Ad
 hæc reposuit Legatus, si in decreto,
 quod Legati sint proposituri, duntaxat
 poneretur, nemo foret, qui de hoc
 quereretur, quod autem dicatur: *pro-*
ponentibus Legatis, hæc minime limitata
 dicendi ratio Episcopos proponendi ju-
 re privare videtur, proin aliæ adhiben-
 dæ

Sarp p.484.
Mem. de
Concil. p. 189.
Et Reg.
Lettre de
l'isle au
Lansac 12.
Maji. Et a
l'abbé de
S. Gildas
29. Maji.

dæ sunt voces. Verum Pontifex hac ^{Sæcul. XVI.}
 importunitate magis irritatus subito di- ^{A. C. 1562.}
 fcessit, nec ullum Legato dedit respon-
 sum, quo sibi satisfactum crederet.

§. XCVII.

*Piscarius Marchio Hispaniæ Orator
 Tridentum veniens.*

Demum molestiam, quæ Legatis ex *Pallav. c. 7.*

Regis Hispaniæ querelis accessit ^{n. 3.}
 rat, nonnihil temperabat adventus Pis-
 carii Marchionis, qui Mediolanum re-
 versus quarta ante Sessionem die deci-
 ma Maji Tridentum venit mandatis ad-
 modum moderatis instructus: porro pri-
 mum, quod postulabat, erat, ne Index
 librorum ab Inquisitione Hispanica con-
 fectus immutaretur quoad ea, quæ Do-
 mini sui Regna spectarent: alterum vero
 fuit, ne illis, qui huic Inquisitioni sub-
 jecti sunt, securitatis literæ concederen-
 tur. Ad utrumque Legati responde-
 bant, quod supervacaneum esset ejus-
 modi postulata proponere, cum jamjam
 in Regis gratiam desuper sanctio præ-
 cessisset. Pariter iidem Legati non sine
 animi sui lætitia perceperunt, quod hic
 Orator recusasset se conjungere Hispa-
 nis Præsulibus, qui residentiam juris
 divini esse declarare pertinacius postu-
 labant.

M m 5

§. XCVIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

§. XCVIII.

Orator Episcopis Hispanis adver-
satur circa articulum de RESI-
DENTIA.

Pall. c. 7. n. 2. Nihilominus iidem Episcopi nullum non movebant lapidem, ut Marchionem ad sua pertraherent studia: hic vero jam Mediolani erat edoctus, quod Principi suo, cui multo minus auctoritatis fuisset in suos Episcopos, ejusmodi definitio noxia foret, hinc ea de re percunctabatur Martinum Aialam Segobiensem Episcopum, qui jam alias Synodo intererat, doctumque librum de traditionibus ediderat. Hic ingenue Marchioni fatebatur, quod Hispaniæ Episcoporum sententia omni juri adversaretur: „ego quidem, inquiebat Episcopus, olim huic opinioni favebam, id „tamen propterea factum, quia ex Hispania discedens fidem dabam, quod „nullam Regiæ utilitatis rationem in „Concilio habere velim., Orator cum Tridentum venisset ejusmodi rationibus imbutus, faciliores præbuit aures monitis, quæ Simonetta Cardinalis, Regis subditus, ac Mediolani natus eidem suggesserat, ob oculos ponens, per ejusmodi definitionem imminutum iri Sedis Apostolicæ potestatem, in quam imminutionem hæretici

fici unice collimarent, ut hac oppressa denique Regiam æque auctoritatem e-
 verterent, quemadmodum in Germania, & Gallia jamjam moliti essent: hinc plane indignum sibi videri inquiebat, quod a duobus Hispaniæ Episcopis Antistes Parisiensis in fœdus adductus fuerit ad petendam hanc declarationem, tametsi ex ipsis alii fuissent id detestati, atque inter eos ipse etiam Salmanticensis Episcopus ab hac sententia omnino alienus exstitisset.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1562.

His verbis expugnatus Marchio Pifcarius haud ultra Nationis suæ Episcopis hac in re favebat.

§. XCIX.

Orator Synodi continuationem declarari postulans.

Verum major adhuc difficultas circa Synodi continuationem superanda Legatis supererat; quippe Hispaniæ Orator Regis Domini sui nomine in proxima Sessione declarari petebat, quod præfens Concilium nonnisi continuatio sit Synodi sub Paulo III. inchoatæ, & a Julio III. restauratæ: his quoque addebat, quod Tridentum rediisset, spe fretus, fore, ut promissa sæpius facta jamjam effectui data essent: porro ad magis firmandam hujus rei decisionem, in-
 super

Pallav. c. 7.

n. 3.

Sarpus l. 6.

p. 488. & seq.

Sæc. XVI.
A. C. 1562.

super postulabat, ut omnia disciplinæ decreta sub Paulo III, & Julio III. facta disertis verbis confirmarentur. Postremo huic petito lubenter annuebant Legati, ad primum vero articulum Oratori exponebant, haud decere, quod continuatio declaretur in Sessione prima, cum in ea nonnisi de Sessione in aliam diem proroganda agendum foret, ibidemque nihil decideretur. Hac ratione Marchio nonnihil placatus saltem voces Cæsareorum jussu deletas, ac superius relatas, rursus decreto inferi petiit, pollicitus, quod Cæsareos, si forte hac super re quererentur, placare vellet: verum datam fidem exsolvendi occasio præripiebatur Marchioni, cum ceteri sese minimis etiam verbis, quibus Synodi continuatio indicaretur, constanter opponerent.

§. C.

*Sententia de reticenda continuatione
in Sessione proxima.*

Pall. c. 7. n. 3. Enimvero Seripandus, & Simonetta Cardinales nullum non movebant lapidem, ut in convocationis diplomate quædam verba Synodi continuationem significantia infererentur, hancque ob rem Hispanorum Præfulum petitionem apud suos socios acriter urgebant: Verum

tum Mantuanus Cardinalis, cum eorum rationibus nunquam cedere vellet, Cæsaris favorem sollicitè conservandum pluribus monebat: ergo in eo tandem convenere Legati, ut in Sessione omittetur memorata Continuationis particula, sed ex altera parte, prout efflagitabat Avalus, Legati in literis, quas ipsi ad Hispaniæ Regem scribebant, & Oratori tradebant, fidem suam obstrinxerunt, quod eam declarationem in Sessione, quæ subsequeretur, fieri vellent: nec id a Legatis negari poterat, posito jam superiori promisso, tum ipsorum, tum Pontificis, & tam diuturno tempore, quo ipsa rei executio incassum dilata fuerat in gratiam Cæsaris, qui hac ratione hæreticos ad sinum Ecclesiæ revocandos sperabat. Volebant insuper Legati, ut Cæsarei novæ hujus concordie certiores fierent, eisque exponeretur rationum necessitas, qua Philippo Hispaniæ Regi satisfieri oporteret: at Cæsaris Oratores hoc nuntio territi Sessionem, in qua continuatio esset declaranda, differri duntaxat petebant, ut interea accepto temporis spatio Ferdinando rem significare, atque ab eo responsum accipere possent: eapropter Papæ Legati sanxerunt, ut futura Sessio, quæ prius ad diem vigesimam

Sæc. XVI.
A.C. 1562.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

mam primam Maji fuerat indicta, non nisi quarta Junii celebraretur: præterea conclusum, ut in Sessione die decimo quarto Maji habenda non nisi de sola continuatione, relictis omnibus aliis negotiis ageretur: quam in rem Paleottus, ut iussus fuerat, confecit decretum, sed prorsus jejunum, in quo exponebat, quod Patres justis, honestisque de causis statuissent ad quartum Junii diem Sessionem differre, in qua decretæ sanctiones promulgarentur: interim vero Deum precentur, ut ipsorum animos aura sancti Spiritus sic afflaret, ut id, quod in ipsius gloriam cederet, perficeretur.



INDEX